

enigmata q̄i in hac t̄ta inveni.

pat. s̄ nō totat p̄fic̄ in m̄



XV.
DISSERTATIO INAUGURALIS
De
HEREDVM SVB-
STITUTIO-
NIBUS,

Quam
AUSPICE JEHOVA,
DUCE JUSTITIA,
COMITE VERITATE,

Permissu Magnifici & Amplissimi Collegij Juridici
in Celeberrimâ Lipsiensium Academiâ

PRO CONSEQUENDA LICEN-
tiâ dignè assumendi Summum Togatæ Militiæ
Cingulum, solenniterq; nanciscendi Doctora-
les in Utroq; Jure Honores, Privi-
legia & Insignia.

Examinandam proponit, & publicæ disquisitioni subijcit

HEINRICVS KRAPPIVS
LIPSIENSIS:

In Auditorio Jureconsultorum:

Die XXVII. Septembris, Hora VII. matutinâ & seqq.

L I P S I Æ,
Excudebat Justus JANSONIUS DANUS.
ANNO M. DC, XXI,

V I R I S

*Reverendis, Magnificis, Nobilissimis, Amplif-
simis, Clarissimis, Consultissimis, Excellentissimisq;*

**Dn. FRANCISCO RO-
M A N O**, Hereditario in **Mückershausen &
Braunschweig** Jureconsulto Celeberrimo, Decretalium Pro-
fessori Publico, Serenissimi Electoris Saxoniae Consiliario Di-
gnissimo, Supremi Judicij Provincialis Adfessori Solertissimo,
Canonico Martisburgensi Optatissimo, Inclytæ Facul-
tatis Juridicæ Ordinario Præcellentissimo, & p. t.
Pro Cancellario ac Academiae Lipsiensis
Rectori Gravissimo.

**Dn. HEINRICO HÖPFNERO, SS. THEO-
logiæ Doctori**, Professori Publico, Alumnorum Electora-
lium Ephoro Vigilantissimo, nec non Collegij Majoris
Principum Collegæ Honoratissimo.

**Dn. THEODORO SITZMANNO, J. U. D. SU-
premæ Curiae Provincialis Advocato Spectatissimo, & Scabi-
natus Electoralis Adfessori Meritissimo.**

**Dn. HEINRICO VOLCKMARO, J. U. D. PRÆDICTÆ
Curiae Provincialis Advocato Eximio, Consistorijq; Ele-
ctoralis Adfessori Conspicuo.**

*Dominis Affinibus, Patronis, Meccenatibus, Fau-
toribus ac Promotoribus meis maximis, multisq; nomio-
nibus suscipiendis & observandis.*

Hanc Dissertationem Inauguralem in debite re-
verentiæ & honoris argumentum, meiq; ulte-
rioris commendationis Symbolum:

Officiosissime,

Dò, Dico, Dedicò, Consecro & Offero:

Heinricus Krappius V. I.
Licentianus.



DIVINA FAVENTE GRATIA:

DISSERTATIONIS INAUGURALIS:

DE

HEREDUM SUBSTITUTIONIBUS:

CONCLUSIO I.



Ulamvis præfationes libentius ad propositæ materiæ lectionem nos perducant, & cum ibi venerimus, evidentiozem intellectum præstent: *L. facturus: 1. in fin. ff. de O. I.* Substitutionum tamen materia verbosa, commendatione meo iudicio non indiget, cum ipsa variè distracta & satis spaciose ostendat.

2. Et sanè, si quis omnes Iuris nostri materias ordine perlustret, illicò deprehendet, hanc de substitutionibus præ reliquis omnibus quasi Principem in acie antestare, easq; difficultate & utilitate longo intervallo post se relinquere. Si enim flexuosos mœandros, si sinus reconditos in vasto Iurisprudentiæ Oceano quæras, & hanc materiam innaviges, certè vix enatabis: quemadmodum Summi Iuris nostri Navarchi sapius fluctuârunt, & fracto assiduo variarum interpretationum lacerto, ab immensis hujus materiæ profunditatibus, penitus ferè absorpti fuerunt.

A 2

3. De

3. De difficultate equidem non meum, sed aliorum Clarissimorum Juris Luminum esto judicium. *Vvesembecius in n. fin. ff. h. t. ait*, quod tanta sit hujus materię subtilitas & altitudo, ut compendiaria interpretatione exhauriri non possit. *Paulus Leoninus in prælud. Substit. inquit*: eam esse ita latè patentem, ut possit Oceano comparari: Nam quemadmodum illud mare orbem universum circumdet: Sic & hæc doctrina per universum Juris Civilis corpus circumferatur, cum nullæ ferè Juris pars sit, in quâ non de Substitutionibus tractari contingat. *Albericus Rosatus dicit*, hanc materiam inter omnes esse, sicut mare Anglicanum, scilicet profundam, utilem, subtilem, & per consequens periculosa.

4. Insignes itidem tam publici, quam privati fructus ex eâ emergunt. De privatis optimè testari potest Respublica, quæ sæpè insignem ex Substitutionum materiã usum percepit. Privatam si spectes, sufficiat testimonium Baldi, qui referente *Alexandro hic*, plus, quam quindecim millia Ducatorum honorarij loco ob hanc materiam consecutus est: Id quod *Raphaël Cumanus* vivâ voce ab ipso audivit.

5. Hoc mecum reputans, non abs re fore duxi, si & Ego, Pro consequendâ Licentiã dignè assumendi Summum Togatæ Militiæ Cingulum, solenniterq; nanciscendi Doctorales in Utroq; Jure Honores, Privilegia & Insignia, fabricam hanc, amplitudine speciosâ commendabilem, autoritate Virorum Consultissimorum conspicuam, subtilitate exuberantem, pulchritudine præstantem, cognitione utilem, & militiæ forensi accommodatam, ad structilem formam erigerem, & limitatiorem collationis in eadem revocarem. Cujus difficultatem, quò feliciùs superem, nodosq; illi insidentes planè Gorgios reseceam, faxit Deus Trin. Unus in secula benedictus.

6. Prænoscendum autem & prologi instar in hæc Conclusionum scenâ præmittendum est, Substitutionis vocabulum in Jure nostro æquivoecum esse, & modò in latiore, modò in strictiore significato sumi.

7. In

7. In latiore significato sumptum, omnem omninò in locum alterius subrogationem & sublocationem denotat: Hinc Fideicommissarius in locum alterius: *L. coheredi. 41. §. quod si heredem. 3. ff. h. t. L. heredes mei. 57. §. cum ita: 1. juncto §. seq. ff. ad SC. Treb. L. generaliter: 6. §. cum autem invenimus: 1. C. de inst. & subst. Index alteri iudici: *L. pen. in fin. ff. judic. solvi: Tutores tutoribus: L. tutores: 39. §. in eum. 11. ff. de admin. tut. nec non mortis causa donatariis substitui dicuntur: L. ei, cui 10. ff. de mort. causa donat.**

8. Similiter legatarium in locum legatarij substitui asseveratur, in *L. ut heredibus: 50. in pr. ff. de leg. 2. L. Sextiam filiam: 32. in fin. ff. de leg. 3.* Sic arbor in locum alterius arboris, & pecora in locum demortuorum pecorum substitui dicuntur, *L. agri. 18. L. vel inutilium: 69. ff. de usuf. L. si grege legatò: 22. ff. de leg. 1. L. in fraudem: 45. §. pen. ff. de jure fisci.*

9. At in strictiore significatione sumptum Substitutionis vocabulum, eam sublocationem & subrogationem demonstrat, quæ in ultimâ voluntate fieri consuevit, quando testator (ne testamenta forsitan ex heredum defectu, si ij instituti, hereditatem vel omitterent, vel antequam eandem adirent, debito naturæ satisfacerent, fierent irrita) in testamento aliquem heredi instituto substituit, *1. r. ff. & C. hic.*

10. Quâ in significatione, cum hujus sit loci, sic commodè definiri potest, quod sit institutio heredis conditionalis, post primum gradum in ulteriorem quemvis heredem, in testamento à testatore facta, ut in defectu heredis, vel primo, vel secundo gradu instituti, bonorum suorum heredem institutum habeat atq; relinquat.

11. Non absq; ratione hoc in loco ipsam rei definitionem posui: Methodi enim Lex requirit, ut significationibus rei ad tractandum propositæ excussis atq; indicatis, proximè ipsa subjiciatur definitio: Definivi verò substitutionem genericè sumptam per institutionem, *arg. pr. Inst. de vulg. subst. L. heredes: 1. in pr. L. sed si plures. 10. §. ult. in fin. L. quo gradu. 13. ff. h. t. L. qui statu liberi: 2. §. fin. ff. de statu lib. L. generali: 13. C. de SS. Eccles.* Omnis namq; propriè sic dicta substitutio, institutio est: Non verò omnis

institutio est substitutio. Unde, quemadmodum generis appellatione singulae species veniunt, sic institutionis vocabulo venit substitutio. Ideoque jussus aliquem instituere, jussui satisfecisse creditur, si eum substituit: *L. mulier. 20. §. fin. ff. de condie. instit.*

12. Addidi vocabulum, *heredis*: & quidem ad differentiam reliquarum Substitutionum: Nam non omnis Substitutio est heredis institutio: cum contrarium in Legatis: *L. coheredi. 41. §. quod si heredem 3. vers. alioquin. ff. h. r. L. ut heredibus: 50. in pr. ff. de leg. 2. L. Sextiam filiam: 32. in fin. ff. de leg. 3. Fideicommissis, d. L. coheredi: 41. §. quod si heredem: 3. vers. alioquin. ff. h. r. L. heredes mei: 57. §. cum ita 1. juncto §. seq. ff. ad SC. Treb. & mortis causa donationibus, L. ei, cui, 10. ff. de mort. causa donat. locum obtineat, quae tamen non proprie, sed per quandam analogiam & similitudinem Substitutiones dicuntur.*

13. Subjeci vocabulum: *conditionalis per d. L. coheredi 41. §. coheres 6. ff. h. r. L. in ratione: 11. §. quod vulgo dicitur, 5. ff. ad L. falcid.*

14. Per verba: Post primum gradum in ulteriorem quemvis heredem, subjectum correlativum Substitutionis generatim dictae demonstratur, quod est, secundus heres, non quidem ratione ordinis scripturae aut personarum, sed ratione intellectus & gradus diversitatis, *L. si ita 28. L. cum in testamento. 37. in pr. ff. de hered. instit. d. L. heredes 1. in pr. ff. h. r. l. equissimum. 2. §. defertur 4. ff. de bon. poss. sec. tab.* Nam sive primo, sive medio, sive ultimo loco heres in testamento scribatur, nihil interest, *L. quo loco. 20. in pr. ff. de hered. instit.* Plurimum vero refert, num primo vel etiam ulteriori gradu institutus sit, *L. qui solvendo 60. ff. eod.*

15. Adduntur verba: *In testamento, L. potest quis. 36. in pr. ibi. in testamento. ff. h. r.* Et quidem ad excludendos codicillos, seu tabulas codicillares: Nam, quemadmodum in his nulla heredis proprie sic dicta institutio, ita nec substitutio fieri potest, *pr. ibi. in testamento, Instit. de vulg. subst. §. imprimis 2. ibi. testamento. Inst. de fideic. hered. §. pen. in fin. Inst. de codicill. d. L. heredes, 1. §. fin. L. si in testamento, 5. d. L. potest quis. 36. in pr. ibi. in testamento. ff. h. r. L. Scævola 76. ff. ad SC. Treb. L. pen. C. de codicill.*

16. Ver-

16. Verba: *A testatore facta*. Subiectum relatum Substitutionis generatim dictæ exhibent, quod est, testator quilibet, qui sibi ultimum elogium condidit, *d. pr. ibi. in testamento suo, Inst. de vulg. subst. d. L. potest quis, 36. in pr. ibi. in testamento. ff. h. t.*

17. Verbis denique: *Vt in defectu heredis, vel primo, vel secundo gradu instituti, bonorum suorum heredem institutum habeat atq; relinquat*: causa finalis Substitutionis generatim dictæ arguitur, ne scilicet testator ob defectum heredis instituti, in causam intestati deveniat atq; recidat, *arg. pr. ibi. in subsidium. Inst. de vulg. subst. d. L. heredes. 1. § heredis. 1. ff. h. t.*

18. Quamvis autem variæ Substitutionis heredum divisiones apud Iuris nostri interpretes reperiantur: Illis tamen ommissis eam commodè in Paganicam & Militarem partiiri posse reor. Et quidem ad similitudinem Paganici & Militaris testamenti. Paganicam verò rursus in Vulgarem & Pupillarem subdivido, *t. t. Inst. de vulg. subst. t. t. Inst. de pup. subst. t. t. ff. de vulg. & pup. t. t. C. de inst. & subst.*

19. Sed magna est Dd. dig' adiatio: Nùm etiam Universale Fideicommissum Substitutionibus adnumerari queat? Negativam verioremi existimo: Nam omnis vera ac propriè dicta Substitutio, heredis institutio est, *L. ex facto, 43. §. Lucius Titius. 2. vers. nihil autem interest. ff. h. t. L. mulier. 20. §. fin. ff. de condit. instit.* At fideicommissarius propriè heres non est, *§. restituta. 3. Inst. de fideic. hered. L. si filius familiars. 5. §. si filio exheredato. 1. ff. quod cum eo, qui in alien. pot. L. postulante Sticho. 44. in pr. L. si heres. 68. in fin. pr. ff. ad SC. Treb.*

20. Accedit, quod planè diversa sint, Fideicommissum & Substitutio: *uti arguit Rub. C. de impub. & al. subst.* In illo enim titulo agitur non modò de pupillari, verùm etiam de aliis Substitutionibus: At non de Fideicommissaria, quam interpretes somniant. Quò spectat *rub. C. de inst. & subst. & restit.* Item *L. tutores 39. §. heres institutus. 3. ff. de administ. tut. L. recusare. 6. §. pen. ff. ad SC. Trebell.* Ubi disertis verbis inter Substitutionem & Fideicommissum distinguitur. Facit, quod in dubio Substitutionis vox semper de directâ substitutione intelligatur, *s. si pater, 1. de testam. in 6.*

21. No-

21. Notorij præterea juris est, Substitutionem semper fieri in locum deficientis heredis, *L. quamdiu 3. ff. de acquir. hered.* Sed fideicommissarius non admittitur, nisi herede existente. *§. in primis 2. Inst. de fideic. hered.*

22. Porro Substitutio propriè sic dicta in Codicillis fieri haud potest, sicut asserui supra conclus. 15. At Fideicommissum rectè & utiliter relinqui in Codicillis potest, *§. pen. vers. nam per fideicommissum, inst. de codicill.* Quare ex hisce adductis rationibus firmiter conduco, nullam propriè sic dictam substitutionem fideicommissariam esse.

23. Vulgaris substitutio definitur, quod sit substitutio cujuslibet heredis, à quolibet testatore, in testamento, quibuslibet verbis ac modis facta, in casum primum, quò heres institutus aut omninò non existit, aut non potest, aut non vult heres esse.

24. Generis loco *Substitutionis* vocabulo usus sum, cum Paganica substitutio tanquam genus, vulgarem & pupillarem, veluti species, sub se comprehendat. At verbis, *cujuslibet heredis* subjectum correlatum substitutionis vulgaris continetur, quod est, heres quilibet, *pr. §. & plures. 1. juncto §. fin. Instit. h. r.* Verbis verò, à quolibet testatore, subjectum relatum hujus substitutionis indicatur. *d. pr. & §. 1. Inst. h. r.*

25. Vulgaris autem Substitutio inde nuncupata est, quod communis sit, quodvè à quovis testatore testamenti factionem activam habente, fieri queat, & cuivis heredi, *arg. L. Babius Marcellus 30. vers. ex diverso. ibi. pacti quidem vulgaris, ff. de pact. dotal. L. quidam 46. circa fin. ff. de hered. instit. L. si servus. 42. ibi. vulgaris formula. ff. de furt. L. edicto Divi Traiani. 13. §. extat. 5. in fin. ibi. vulgare premium. ff. de jure fisci.* Non verò, quia directa: Nam eadem ratione & pupillaris dici vulgaris posset. Sed quia vulgò ab omnibus testatoribus fieri soleat, neq; in hac, ut in reliquis, delectus personarum observetur: Cuius etenim ætati tam puberi, quam impuberi, tam Extraneo, quam Suo, rectè vulgariter substitui potest, in hunc scilicet casum, si heres non erit. *pr. Inst. h. r.*

26. Ori-

26. Originem porrò Vulgaris Substitutionis ex Legge XII. tabularum promanasse, manifesti juris est. *L. verbis. 120. ff. de V.S.L. testandi. 13. C. de testam.* Nam sicuti permillum est aliquem bonorum suorum heredem instituere; ita & substituere permillum erit, ne videlicet primo herede non existente, testator in causam intestati deveniat, adeoq; bona ejusdem ex Legge Papia ad fiscum deferantur. *L. vn. in pr. C. de caduc. toll.*

27. Persona vulgariter substituens est testator quilibet, five heredi instituto extraneus, five etiam ejusdem parens vel cognatus sit, *pr. Inst. h.t. L. potest quis. 36. in pr. ff. eod.*

28. Cuilibet etiam heredi vulgariter substitui potest, non habitâ ratione ætatis, status & cognationis. *d. pr. ibi. ut novissimo loco. junctis §§. seqq. Inst. h.t. d. L. potest quis. 36. in pr. ibi. ut novissimo loco. juncto §. & vel plures. 1. cum L. seq. ff. h.t.* Omnes namq; qui rectè heredes instituuntur, iisdem rectè substitui potest, *L. si is. 6. ff. d.t. maximè, cum substitutio generatim dicta, sit institutio, & ab institutione præter alia differat, quod eam sequatur & posterior sit. arg. L. patris & filij. 20. in pr. ff. eod.* Hinc fit, ut servis jure substituatur: Testamenti enim factio cum servis ex persona Dominorum introducta est, & subsistit. *d. pr. Inst. h.t. L. non minus. 31. in fin. pr. ff. de hered. instit. d. L. potest quis. 36. in pr. ff. h.t. L. si mihi. 12. §. regula. 2. ff. de leg. 1.*

29. Quod si vero testator servum alienum, quem patrem familiâs arbitratus est, heredem instituerit, eiq; vulgariter substituere, tunc hereditas per semisses inter Dominum servi, cujus nimirum jussu hereditas est adita, & inter substitutum æquis portionibus, contra communes Juris regulas dividenda venit: Regulariter siquidem institutus & substitutus simul ad hereditatem nunquam admittuntur. *L. quamdiu. 3. L. quamdiu. 69. ff. de acquir. hered.*

30. At exceptio fundatur in §. fin. *Inst. h.t.* Nam finge testatorem sic instituisse, *Titius heres esto: Si Titius non erit heres, Sempronius heres esto.* Jam Titius heres institutus reverâ servus est, & quicquid acquirit, Domino acquirit. *pr. juncto §. item vobis. 3. Inst. per quas pers. L. placet. 79. ff. de acquir. hered. L. acquiruntur. 10. §. igitur. 1.*

B

ff. de

ff. de A.R.D. Quaritur itaq; quid juris? Num Domino Titio heredis instituti hereditas per ipsum acquiratur, excluso substituto Sempronio: An verò substitutus Sempronius Titio potior habeatur?

31. Et licet incerti juris sit, quidnam testator per adjectam conditionem, *si heres non erit*, senserit, nec non pro Domino hujus servi & pro substituto haud levia militent jura: Nilominus tamen medium quoddam introductum est, ut divisio illius hereditatis in partes viriles fiat. *d. §. fin. Inst. h.t. l. si paterfamilias. 40. junctâ l. seq. ff. de hered. instit.*

32. Hæc autem vulgaris Substitutio non aliter, quam in testamento cujuslibet testatoris aut testatricis fieri potest: Nam quemadmodum institutio propriè sic dicta sine testamento non subsistit, ita nec substitutio. Hinc testamentum haud ineptè subjectum recipiens vulgaris substitutionis indigetari potest. *arg. l. potest quis. 36. in pr. ff. h.t. l. pen. C. de codicill.*

33. Ad formam seu modum Vulgaris substitutionis jam temporis progrediendum erit, qui quadruplex reperitur. Primus enim in numero Substitutionis vertitur. *pr. Inst. h.t. d. l. potest quis. 36. in pr. ff. eod.* Alter in Reciprocatione consistit. *l. jam hoc jurc. 4. §. quod jus. 1. d. l. potest quis. 36. §. & vel plures. 1. ff. d. t. §. & plures. 1. Inst. eod.* Tertius in expressâ & tacitâ substituentis voluntate fundatur. *l. quia tacita. 25. ff. de hered. instit.* Quartus deniq; in adjunctâ vulgaris substitutionis qualitate cernitur.

34. Primum Vulgaris Substitutionis modum, nimirum numerum quod attinet, ille in gradibus & personis, in quovis gradu substitutis, elucet.

35. Et quidem respectu graduum sciendum est, posse testatorem in testamento suo plures gradus substituere: Exempli gratiâ: *Si Titius heres non erit, Mævius heres esto: Si Mævius heres non erit, Seius heres esto.* Et sic deinceps, adeo, ut in quantum testatori visum fuerit, hanc substitutionem extendere possit. *d. pr. Inst. h.t. d. l. potest quis. 36. in pr. ff. eod.* Et novissimo etiam loco, in subsidium, servum necessarium substituere, ne testator post mortem ignominia afficiatur, si bona in hereditate reperta, ob urgentes res alienum à Creditoribus distrahenda sint. *§. necessarius. 1. Inst. de hered. qual. & diff. l. necessarius. 57. §. fin. ff. de acquir. hered.*

36. Plu-

36. Plures similiter personas testator in unius locum substituere potest: Videlicet, Titius heres esto: Si Titius heres non erit, Seius, Mavius, Sempronius & Caius heredes sunt. d. §. & plures. i. Inst. h. t. L. sed si plures. 10. in pr. ff. eod. Aut è contrario, unum in plurium: Veluti: Seius, Mavius, Sempronius & Caius heredes sunt: At si heredes non erunt, Titius heres esto. Aut singulos in singulorum: Verbi gratiâ: Seius heres esto: Si Seius non erit heres, Mavius heres esto: Si Mavius non erit heres, Sempronius heres esto: Si Sempronius non erit heres, Caius heres esto: Si Caius non erit heres, Titius heres esto. d. §. & plures. i. Inst. h. t. d. L. sed si plures. 10. in pr. d. L. potest. 36. §. & vel plures. i. junct. LL. seqq. ff. eod.

37. Alterum Vulgaris Substitutionis modum in Reciprocatione consistere adseveravi: Atq; hinc reciproca substitutio nominatur. d. §. & plures. i. Inst. h. t. L. jam hoc jure. 4. §. hoc jus. i. ibi. reciprocam substitutionem ff. eod. eod. quod testator duos heredes invicem substituât: Exempli gratiâ: Titius, Mavius & Sempronius invicem substitui heredes mihi sunt: Vel Seius & Caius, uter eorum vivet, heredes mihi sunt. L. Titius 24. L. cum in testam. 37. §. hæc verba. 1. ff. de hered. inst. d. L. jam hoc jure. 4. §. quod jus. 1. ff. h. t. L. si fundum. 81. §. hi verbis. 8. ff. de leg. 1. Et si ultimo loco facta sit substitutio, tùm, si uterq; eorum vivit, ambo simul heres existunt: Mortuo autem uno, is, qui supervixerit, exasse heres erit.

38. Hæc autem Reciproca Substitutio à nonnullis ex interpretibus breviloqua, licet minùs distinctè ac consideratè appellari solet. Iura enim eandem Reciprocã indigitant. d. L. jam hoc jure. 4. §. quod jus. 1. ibi. reciprocã substitutionem. ff. h. t. Et sanè, si breviloqua nuncupanda, hoc indè absurdi sequeretur, quod alia foret huic contraria, nempe, multiloqua. Nec etiam verborum brevitã substitutionem reciprocã facit, quæ non modò brevi orationis formulã sive compendio, sed etiam cum quodam verborum apparatu concipi potest. Neq; hæc Reciproca Substitutio aliam novam ac distinctam speciem à superioribus constituit, cum verba rem & essentiam alicujus rei haud transmutent, nec intersit, quibuscunq; verbis quid dicatur, dummodò idem verbis exprimatur. L. quoniam. 15. C. de testam. L. omne verbum. 2. C. de commun. de legat.

39. Circa hunc alterum Vulgaris Substitutionis modum

B 2

probè

probè tenendum, quod si plures ex disparibus partibus, citrà ullam partium determinationem & adsignationem substituti sint, observandus tunc ordo in partium distributione, quem in institutione testator observavit, nisi alia testatoris mens appareat, §. & si ex disparibus. 2. Inst. h. t. L. si plures. 24. ff. eod. L. cum heredes 1. C. de impub. & al. subst. Verbi gratiâ: Tres heredes instituti, sibiq; invicem substituti sunt: Titius, Mævius & Sempronius, Titius ex sextante, id est, duabus uncijs institutus est: Mævius ex triente, hoc est, quatuor uncijs: Et Sempronius ex semisse institutus reperitur: Jam verò repudiante Sempronio semis in sex uncias dividi ac resolvi debet, ita ut duæ ad Titium, reliquæ verò quatuor ad Mævium, qui ex triente institutus est, transferantur. Monendum autem hîc est, procedere illud regulariter: Diversum obtinet, si aliam testatoris mentem fuisse, ex testamento haud obscuris documentis probari possit. d. L. si plures. 24. in fin. ff. h. t.

40. Porro, cum juxta tertium modum Vulgaris Substitutio facta sit, tum illa vel Expressa est, vel Tacita: Et quidem vel ex Tacitâ, vel ex Expressâ Testatoris voluntate præsumitur. L. quia Tacita. 25. ff. de hered. instit.

41. Expressa est, quæ perficitur verbis expressis, vel plenam orationem habentibus: nempe, si Titius heres non erit, Sempronius heres esto. pr. Inst. h. t. L. heredes. 1. §. heredis. 1. ff. eod. vel uno duntaxat verbo; nimirum, Cajo Seium substituo, eosq; invicem instituo. d. L. si plures. 24. L. coheredi. 41. §. ex his verbis. 1. ff. h. t.

42. Tacita per coniecturam ex voluntate seu mente Testatoris colligenda est: veluti Titius & Mævius, uter eorum viveret, heres mihi esto: L. Titius & Seius. 24. juncta L. seq. ff. de hered. instit. L. jam hoc jure. 4. §. quod jus. 1. L. si Titius. 27. d. L. coheredi. 41. in pr. ff. h. t.

43. Quartus deniq; & Ultimus Vulgaris Substitutionis modus, quem ab adjunctâ Substitutionis qualitate dependere dixi, est, cum Substitutio sub conditione, si sine liberis decesserit, facta sit, ut puta, si testator ita substituit. Seius filius meus heres esto, si Seius sine liberis decesserit, Sempronius heres esto. Nam hoc in casu certa qualitas adjecta est, quæ in verbis, si sine liberis: con-
vinctur. Hinc liberis existentibus, substitutus excluditur.

44. Sed

44. Sed perelegans hic oritur quaestio: Si liberi post mortem heredis in continenti debito naturae satisfaciant, num hoc casu Substitutus exclusus sit, nec ne? Affirmantium suffragia sequor: Substitutus enim, qui semel exclusus est, perpetuo exclusus censetur: Atque ita sufficit, liberos tempore mortis testatoris heredes extitisse, licet in continenti decesserint. Qualitas namque adjuncta verbo intelligi debet, secundum tempus verbi, cui adjungitur, *L. in delictis. 4. §. si extraneus. 1. ff. de noxal. act. L. ex facto. 43. in pr. ff. b. t. L. Titius. 25. ff. de testam. milit. L. filiusfamilias. 114. §. cum erit rogatus. 13. ff. de leg. 1. L. pater. 101. §. ita. 1. ff. de condit. & demonstr. Et sufficit conditionem semel esse impletam, licet non duraverit impleta. *L. ergo. 4. in pr. L. quidam. 10. in fin. pr. ibi. quia semel extitit conditio. ff. de fideic. libert. L. si quis heredem. 7. C. de instit. & substit. Adde, quod actus conditionalis conditione existente, pro puro reputetur, *L. grege. 13. §. pen. ff. de pign. L. potior. 11. §. videamus. 1. ff. qui pot. in pign. L. un. §. sin autem. 7. C. de caduc. toll.***

45. Utrum verò filius naturalis substitutum excludat? Controversia haud caret: Veluti: si testator substituit, si sine liberis decessat, & heredem sine liberis decessere contingat, relictis duntaxat filijs naturalibus. Pro decidenda hac quaestione mentem testatoris inspiciendam esse reor.

46. Si enim testator simpliciter dixit: *si Titius heres sine liberis decesserit, asseverandum omninò erit, filium naturalem excludere substitutum, L. cum pater. 77. §. volo. 13. ff. de leg. 2. L. ex facto. 17. §. si quis. 4. ff. ad SC. Treb. Idque in primis procedit in filijs per subsequens matrimonium legitimatis. Nam tum legitimorum numero habentur, & parentibus alijsve cognatis ab intestato succedunt, *auth. licet. junctà L. cum quis. 10. & auth. item sine C. de natur. lib. Nov. 89. cap. 9.**

47. Quod si verò testator speciatim excluderit liberos naturales, puta, si ita facta esset Substitutio: *Seius heres esto, & si Seius sine liberis legitime natus decesserit, Mavius heres esto: tum omni jure filij naturales excluduntur, atque sic substituto successio patet. d. L. ex facto. 17. §. si quis. 4. ff. ad SC. Treb.*

48. Causa finalis Vulgaris Substitutionis est, devolutio hereditatis ad Substitutum: Nam, quamdiu heres admitti

Potest, tamdiu substituto non datur locus, cum ambo ad hereditatem simul haud admittantur, §. *fin.* Inst. h. t. L. *quandiu.* 3. L. *quandiu.* 69. ff. de *acquir. hered.*

49. Hæc autem hereditatis devolutio duobus contingit modis: quorum primus est: si heres primo gradu institutus non existat, ob impotentiam fortassis, quia vel vivo testatore, vel post ipsius mortem, priusquam hereditatem adiret, decessit, vel conditione, sub qua institutus est, deficiente. §. *posteriore.* 2. Inst. quib. mod. *testam. infirm.* §. *cum autem.* 7. Inst. de *hered. quæ ab intest. defer.* L. *si quis ita.* 8. ff. de *condit. & demonstr.* L. *cum proponas.* 3. C. de *hered. inst.* L. *conditioni.* 2. C. de *instit. & substit.* L. *un.* §. *in novissimo.* 5. C. de *caduc. toll.*

50. Alter modus devolutionis hereditatis ad Substitutum, ex ipsius instituti heredis voluntate promanat, cum heres esse nolit, d. §. *posteriore.* 2. *ibi. aut noluerit heres esse.* Inst. quib. mod. *testam. infirm.* d. §. *cum autem.* 7. *ibi. aut quia noluit esse heres.* Inst. de *hered. quæ ab intest. defer.* d. L. *cum proponas.* 3. C. de *hered. instit.* vel ut Extraneus hereditatem repudiet, §. *pen.* Inst. de *hered. qual. & diff.* L. *heres.* 3. C. de *impub. & al. substit.* vel ut Suus hereditate abstineat. §. *Sui autem.* 2. *in fin.* Inst. de *hered. qual. & differ.* L. *ait Prator.* 7. §. *sed quod.* 10. ff. de *minor. L. moribus.* 2. §. *ego.* 3. ff. h. t. L. *necessarijs.* 57. *in pr.* ff. de *acquir. hered.*

51. Uno autem modo ex his duobus expresso, alter cessare non debet: Verbi gratiâ, si hoc modo facta fuerit substitutio, *si heres esse noluerit.* omisso scilicet eo, *si heres esse non poterit.* ibi non expressus ad alterum expressum rectè extenditur. arg. L. *Titius.* 25. §. *Lucius Titius.* 1. L. *Gallus.* 29. & *quid* 5 ff. de *lib. & posth.* L. *ab exheredati.* 126. §. *cum à posthumo.* 1. ff. de *leg. 1. L. fin.* C. de *instit. & substit.* L. *fin.* C. de *posth. hered. instit.* Prasertim cum pro disposito haberi debeat, de quo, si testator fuerit interrogatus, vero similiter respondisset.

52. Quod si verò testator verba restrictiva adjecerit, quibus significare voluit, se duntaxat in casu, à se commemorato, substituisse, tunc illa sententia amplectenda venit. L. *quidam.* 46. ff. de *hered. instit.* maximè, si prior illa sententia testatoris
volun-

voluntati repugnet, aut absurdi quid, vel inconvenientis se-
cum adportet.

53. Nobilis hæc & egregia resultat dubitatio, estq; ma-
gni momenti quæstio: An Substitutio jus Sui-tatis vel sangui-
nis tollere possit? Negantium opinionem verissimam arbi-
tror: Pro quâ stabilien-dâ facit, quod in conditionis interpre-
tatione non tantum verba, verum ipsam quoq; testatoris
mentem considerare debeamus. *L. in conditionibus 19. in pr. ff. de
condit. & demonstr.* At verba: *si heres non erit*, non modò ad Substi-
tutum, sed etiam ad eos, qui ex ipsius personâ succedunt,
spectant. *§. fin. Inst. hic. junctâ L. si paterfamilias. 40. ibi vel sibi adquisierit,
vel mutatâ conditione alium heredem n fecerit. ff. de hered. instit.* Quò spe-
ctat Responsum Icti Pauli, in *L. si quis. 7. §. si filius. 1. ff. de acquir.
hered.*

54. Præterea manifesti juris est, hereditatis aditionem
in Suis necessariam haudquaquam esse, cum ipso jure here-
des existant, *§. Sui autem. 2. Instit. de hered. qual. & differ. §. Sui autem. 3.
Inst. de hered. quæ ab intest. defer. L. in Suis. 11. ff. de liber. & posth.* Quare
nihil absurdi erit, si hereditatem non aditam, ut aditam, ad
Suos transmittant: quippe & heres heredis heres censetur
testatoris. *L. fin. ff. de hered. instit. L. quidam. 30 ff. h. t. L. un. §. cum autem.
13 C. de caduc. toll. L. un. C. de his, qui ante apert. tab. L. apud hostes. 8. C. de
Suis & legit.*

55. Corroboratur porrò hæc mea assertio ex eo, quod
impubes vulgarem Substitutum habens, adhuc heres existe-
re dicatur. *L. sed si plures. 10. §. filio. 2. ff. h. t.* quâ de causa etiam ta-
cendo Suus heres fit, & substitutum excludit. *L. Lucius Titius. 45.
in pr. ff. eod.* Idq; Suorum proprium est. *d. §. Sui autem. 2. Inst. de he-
red. qual. & differ. d. §. Sui autem. 3. Inst. de hered. quæ ab intest. defer. d. L. in
Suis. 11. ff. de lib. & posth. L. si fratris. 3. C. de jure delib.*

56. Accedit, quod substitutio in Institutionis subsidi-
um, ut testator sibi de herede prospiciat, & causam caduci
evitet. *pr. ibi. in subsidium. Inst. h. t. L. potest quis. 36. in pr. ff. eod.* non verò
in ruinam & detrimentum Suorum introducta sit. *arg. L. si mi-
les. 3 ff. de testam. milit. L. nihil interest. 50. §. sed numquid. 2. in fin. ff. de bon.
libers.*

libere. Imò tantùm abest, ut per substitutionem tollatur Suias, quin potius inducatur. *d. L. sed si plures. 10. in fin. pr. ff. h. r.*

57. Hinc Transmissarius, qui ex jure Suias & sanguinis jus adeundi ad Suos heredes transmittit, sub hac conditione institutus, *si heres non erit*, substitutum jure excludit. *L. cum in antiquioribus. 19. C. de jure delib. L. un. §. cum autem. 13. ibi. nisi quibusdam personis. C. de caduc. toll. Ratio est, quia Sui, si se non immiscuerunt, nec abstinerunt, pro heredibus semper habentur. L. si ve ingenua. 2. §. si quis ex liberis. 11. ff. ad SC. Tertull. L. apud hostes. 8. C. de suis & legit. Quare si sui heredes sub hac conditione demortui fuerint, tunc hereditatem non ut adquirendam, ast, ut jam adquisitam, ad Suos transmittent. arg. *L. idem est. 13. §. fin. ibi. sed perinde habendum est. ff. de testam. milit. L. ver. re praterito. 84. ff. de acquir. hered. L. de hereditate. 19. §. filius familias. 2. in fin. ff. de cast. pec.**

58. Theodosianum itidem Transmissarium Substitutum excludere, textibus & ratione juris haud caret. *L. un. §. in novissimo. 5. vers. exceptis. C. de caduc. toll. L. un. C. de his, qui ante apert. tab. Alias nepotes & reliqui ex his descendentes, ob casus fortuitos, majorum suorum successione defraudarentur, & extraneis, id est, substitutis, postponerentur, id quod maximam saperet iniquitatem.*

59. Sed nùm Transmissarius Justinianus, hoc est, Juris deliberandi, Substitutum excludere possit? majoris est dubitationis: Negativa arridet: Non enim est Transmissarius hereditatis, ut Theodosianus, sed Juris duntaxat deliberandi. *d. L. cum in antiquioribus. 19. C. de jure delib. neq; à defuncto adquisitam hereditatem accepit, sed eandem denuò acquirere necesse habet. d. L. cum in antiquioribus. 19. vers. si enim. ibi. vel adeundam, vel renunciandam hereditatem. & vers. fin. autem. ibi. reliquum tempus pro adeundâ hereditate. C. d. t.*

60. Peranceps, multisq; multorum interpretum opinionibus in utramq; partem, quasi fluctibus agitâtâ, hîc occurrit controversia: Si testator filium familiâs heredem instituat, eiq; sub hac conditione, *si heres non erit*, substituat, & filius institutus hereditatem repudiet, an pater ipsius, an verò substitutu-

stitutus preferatur? Substitutum patri preferendum esse; in-
trepidè adlevero: Et quidem ex voluntate & dispositione te-
statoris, quæ hoc in casu in primis animadvertenda est. Vo-
luntas autem testatoris postulat, ut herede non adeunte, ad
substitutum hereditas devolvatur: arg. *L. habeat. 1. C. de SS. Eccles.*
Nov. 22. cap. 2.

61. Accedit dispositio, *L. cum proponas. 3. C. de hered. instit.*
ubi servus heres institutus, excludere substitutum nequit:
Potest autem, etiam domino jubente, hereditatem adire nol-
le, sicq; substituto locum relinquere. Quod æquè in filio fa-
miliàs verificatur. Huc spectat, quod aliàs filius familiàs pa-
trem, sicut ad eundo, ita etiam abstinendo & repudiando he-
redem faceret, id quod absurdum foret. Nam, sicuti nemo
unquam repudiando heres exitit, sic nec aliquem heredem
facere potuit: non enim vult heres esse, qui ad alium transfert
hereditatem. *L. si sponsus. 5. §. si maritus. 13. ff. de donat. int. vir. & ux. L.*
si quis. 4. in pr. ff. si quis. omisâ causâ testam. L. non vult. 6. ff. de R. I.

62. Ulteriùs meam munit sententiam, quod institu-
tum esse, facti: At heredem esse, juris sit. Ea autem, quæ facti
sunt, neq; ad patrem, neq; ad dominiũ transire possunt. *L.*
qui heredi. 44. in pr. ff. de condit. & demonstr. Et aliquem heredem ef-
ficere, nihil aliud denotat, quàm suã aditione ei, cujus sub-
potestate quis est, hereditatem acquirere. *§. fin. Inst. h. t. L. si pa-*
ter familiàs. 40. ff. de hered. instit. Quare nec filius familiàs aliter,
quàm suã aditione, parentem heredem efficiet.

63. Ex præcedenti controversiã, veluti ex scaturigine,
& hæc quæstio fluit: Si Monachus heres institutus, adire he-
reditatem recuset, nùm hoc casu substitutus Monasterio præ-
feratur? Adfirmativa veritati consentanea est: Quamvis enim
Monasterium, quicquid adquirat, per Monachum adquirat.
L. Deo nobis. 56. §. huius. 2. junctâ. L. fin. C. de Epist. & Cler. Id tamen in-
tercedente facto, & Monachi aditione locum obtinet. *L. ei,*
qui. 13. ff. de condit. inst. maximè, cum aditio in omnibus (exceptis
Suis & necessarijs) heredibus requiratur: Nemo siquidem
ex eo, quod heres institutus sit, locupletior perhibetur, nisi

C

ipsa

ipsa aditio adcesserit. *L. pretia. 63. in pr. ff. ad L. falcid. & jus adeundi nullam præ se fert utilitatem, nisi subsequatâ aditione ejus, qui jus illud habuit.*

64. Præterea nihil absurdius est, quam ut is, qui alienæ potestati subjacet, quempiam leviori, aut alio modo heredem faciat, quam quo ipse heres esse posset, si sui juris foret. Jam verò neminem latet, Monachum, si sui juris esset, nec ipsius voluntas à Monasterio dependeret, haud aliter, quam adeundo, heredem fieri posse. *L. is, qui 13. in pr. ff. de acquir. hered. L. cum proponas 3. C. de hered. instit. Juvat, quod jus adeundi ita semper institutæ personæ adhæreat, ut divelli ab ea nullo modo queat. d. L. is, qui 13. in pr. L. is potest. 18. ff. de acquir. hered. L. potuit. 5. C. de jure delib. & ejus sit adire hereditatem, cui delata est. L. delata, 151. ff. de V. S.*

65. Ejusdem farinae est quæstio: Num etiam fiscus vulgarem substitutum excludat? Ita distinguendum censeo: Aut heres institutus ante hereditatis aditionem eâ se indignum reddidit, quia mortem testatoris ultus non est, & Substitutus succedit. Ratio est: quia existente substitutionis conditione, quæ est, *si primus institutus non erit heres*, & causam potentia & impotentia in se continet, sicut supra in concl. 51. differui, substituto locus fit. *L. heres. 3. C. de impub. & al. subst. L. un. §. cum autem. 13. C. de caduc. toll.* At hîc conditio existit: Heres etenim primo gradu institutus, acquirere hereditatem haud potest, cum eâ indignum sese reddiderit. Igitur merito eadem ad substitutum, non verò ad fiscum devolvitur. Nam culpa & incapacitas instituti heredis, nocere substituto non debet. *arg. L. Papinianus. 8. §. meminisse. 14. ff. de inoff. testam.*

66. Aut heres institutus post hereditatis aditionem eâ se indignum reddidit, & tunc fiscus succedit. *L. necessarios heredes. 5. §. pen. L. si sequens. 15. in pr. ff. de SC. Silan.* Ratio est, quoniam eo ipso momento, quò hereditas adita fuit, spes substituti evanuit. *L. post aditam. 5. C. de impub. & al. substir.* Si itaq; heres institutus, aditâ hereditate indignus factus fuerit, tunc non modo hereditas, verùm etiam actiones, puta, legatorum nomine, ad

ne, ad fiscum devolventur. *L. cum fisco. 9. ff. de SC. Silan. nec inces-*
forium edictum locum hoc in casu obtinebit, quippe, cum
effectu plenaria hereditas, in primo herede instituto, aut jam
indigno consistebat. d. L. si sequens. 15. in pr. ff. eod.

67. Quod si verò testator duos heredes conjunctim in-
stituat, & unum alteri substituatur, ac huic vicissim substitutum
tribuat, quæstionis est non inutilis: Nùm ultimus hic substi-
tutus jure adcrendi, an substitutionis virtute partem va-
cantem utriusq; adquirat? Negabo prius, Adfirmabo poste-
rius. Ratio est: quoniam jus adcrendi hæc de causâ intro-
ductum est, ne videlicet testator pro parte testatus, & pro par-
te intestatus decederet. At hoc existente substituto minimè
metuendum erit.

68. Ardua itidem est controversia: Si minor heres in-
stitutus, cui alius substitutus est, delatam sibi hereditatem ad-
eat, & postea in integrum restituatur: An hoc casu substitutio
reconvalescat? Negativæ patrocinium præstabo: *per d. L. post adi-*
am. 5. C. de impub. & al. substit. Ratio est: quia is, qui semel heres
fuit, semper de jure Civili heres permanet, licet nominete-
nùs tantum. *L. ei, qui. 88. in fin. ff. de hered. instit.*

69. Antecedenti disceptationi & hæc cognata est: Mi-
nori heredi instituto, servus proprius unâ cum libertate sub-
stitutus est, hæc videlicet conditione adjectâ, *si minor heres non*
erit. Jam verò minor repudiat hereditatem, & servus, tanquam
substitutus, unâ cum libertate eandem sibi vindicat: Postea
minori beneficio restitutionis in integrum succurritur. Quæ-
ritur itaq; quid juris? Nùm servus ille, qui se hereditati im-
miscuit, heres & liber maneat? Et eundem heredem ac libe-
rum permanere placet. Ratio est: quoniam substitutus eo
ipso momento, quo ab instituto hereditas repudiata est, he-
res ipso jure existit: At Prætor non potest facere heredem
eum, quem in integrum restituit: quamvis minor heredis lo-
co sit, eiq; & in eum utiles actiones dentur: *pr. vers. quos autem.*
Inst. de bon. poss. L. moribus. 2. §. ego. 3. ff. h. t. Quod verò servus hic li-
ber permaneat, id favore libertatis fit, qui in omnibus juris

nostri articulis maximè attendi debet. *L. ait Prætor. 7. §. sed quo d. Papinianus. 10 ff. de minor.*

70. Nunc instituti mei ratio postulat, paucis de interitu vulgaris Substitutionis, ut agam. Evanescit autem & extinguitur hæc substitutio, cum heres primo gradu institutus, hereditatem adquisierit *L. quamdiu. 3. L. quamdiu. 69. ff. de acquir. hered. d. L. post aditam. 5. C. de impub. & al. substit.* Id, quod per se satis clarum & perspicuum est: Nam Vulgaris Substitutio sub hac formulâ concipitur: *Si Sempronius primo gradu institutus, heres non erit, Mævius heres esto. r. t. ff. hic.* At aditâ hereditate deficit conditio, sub quâ Mævius institutus est, nec quicquam juris substitutus hoc casu sibi vindicare potest, cum conditionem specificè adimpleri cernat. *arg. L. Mævius. 55. ff. de condit. & demonstr.*

71. Deindè manifesti juris est, quod quando quis adijt hereditatem, tunc per aditionem heres effectus est, & bona illa non sunt amplius hereditaria sive defuncti, sed proprium heredis patrimonium esse perhibentur. *L. sed si plures. 10. §. filio. 2. ff. h. r.* Neque uni testatori duo in solidum heredes existere possunt. *L. de hereditate. 19. §. pater 3. ff. de cast. pecul. L. quod contra. 1. §. uni. 1. ff. de R. l.* Quare nullus amplius substituto locus reliquus erit.

72. Sciendum autem est, quod ad excludendum Substitutum, Extraneis omninò necessaria sit hereditatis aditio: At suis non æquè, cum ipso jure hereditatem adquirant, dominium à defuncto inchoatum in ipsorum persona continuetur, & in vivis adhuc existente testatore quodammodo rerum paternarum domini sint. *§. Sui autem. 2. Inst. de hered. qual. & differ. §. Sui autem. 3. Inst. de hered. quæ ab intest. defer. L. in Suis. 11. ff. de liber. & posth.*

73. Quamvis verò Sui ipso jure heredes sint, adeò, ut post mortem testatoris statim substitutio evanescat: si tamen hereditate paternâ abstineant, locus substituto erit. Ratio est: quia hereditate paternâ abstinens, heres esse non vult, nec alium heredem facit, quare abstinendo ad substitutum hereditatem transmittit. *L. non vult. 6. ff. de R. l. qui postea omnes ab in-*

ab intestato venientes excludit. d. l. ait Prætor. 7. §. sed quod Papi-
nianus. 10. ff. de minor. l. ex contractu. 44. ibi. Et ita bona defuncti ad substi-
tutum ff. de re judic.

74. Expirat itidem hæc Vulgaris Substitutio, si heres
jure Prætorio bonorum possessionem secundum tabulas
consecutus fuerit: Notorij namq; juris est, bonorum posses-
sionem in omnibus heredum vicem obtinere. l. i. ff. de possess. he-
red. perit. l. in omnibus. 2. ff. de bon. poss. & sicut hereditatis, ita etiam
bonorum possessionis appellatio juris est. l. explicito. 1. §. bono-
rum. 7. ff. ad SC. Trebell. l. bona. 3. §. hereditatis. 1. ff. de bon. poss. l. heredita-
tis. 119. ff. de V. S. l. fin. C. qui admitti ad bon. poss. l. si avus. 1. C. unde lib. &
per agnitam possessionem gestio pro herede inducitur. l. pu-
berem. 12. C. de jure delib. Quare bonorum possessio secundum
tabulas æquè nocebit substituto, ac hereditatis aditio.

75. Accedit, quod in conditionibus interpretandis
primum locum obtinere testatoris voluntas debeat. l. in con-
ditionibus. 19. in pr. l. pater. 101. in pr. ff. de condit. & demonstr. At testator
per verba: si heres non erit, non modo eum, qui jure Civili, ve-
rum etiam, qui jure Prætorio heres existit, intellexit: arg. l. filio.
præterito. 17. in fin. ff. de injusto, rupto. & c. d. l. bona autem. 3. §. hereditatis.
1. ff. de bon. poss. l. nonnunquam. 14. in pr. l. si duo. 16. ff. de legat. præst. Atq;
hæc de bonorum possessione secundum tabulas, quæ maxi-
mè juxta defuncti voluntatem datur, exaudienda sunt.

76. Diversum obtinet in bonorum possessione con-
tra tabulas, quæ testatoris voluntati repugnat. l. sed cum patrono.
6. §. bonorum possessionis. 1. ff. de bon. poss. & adversus ipsum testamen-
tum petitur. l. illud. 4. in pr. ibi. contra ipsum testamentum. ff. de bon. poss.
cont. tab.

77. Ex Justinianea autem Constitutione Vulgaris sub-
stitutio reconvalescere potest, si heres institutus hereditate
aditâ, testatoris voluntatem adimpleri recuset. auth. hoc amplius.
C. de fideic. Nov. 1. cap. 1. §. si vero. 3. Ratio est: quia voluntates defun-
ctorum potius adjuvanda, quam impedienda sunt. l. fin. C. de
posth. hered. instir. Et Reipublicæ interest, ultimas voluntates &

suprema hominum elogia exitum habere. *L. verbis civilibus. 7. ff. h. t. L. vel negare 5. ff. testam. quem adm. aper.*

78. Præterea interit vulgaris Substitutio, si parens testator filijs suis, qui liberos non habent, substituit: Si enim ex post facto liberos suscipiant, substitutus excluditur. Nec interest, an conditio hæc: *si sine liberis*, fuerit addita, nec ne: semper enim tacite subintelligitur, cum favor liberorum in causa sit, ut potius hi, quam substitutus, admittantur. *L. generaliter. 6. §. cum autem. 1. ibi. humanitatis intuitu. C. de instir. & substit. & nemo præsumatur alienam successionem suæ propriæ anteponeere vel le. L. cum acutissimi 30. in fin. C. de fideic.*

79. Deniq; Vulgaris Substitutio extinguitur, si substitutus ante conditionis existentiam decedat: Jus enim substituti ad heredes transitorium non est. *L. si ex pluribus. 9. in fin. de Suis & legit. Vel, si substitutus institutum interficiat. arg. L. si ab hostibus. 10. §. si vir. 1. ff. sol. matrim.*

80. Hactenus de primâ & maximè generali Substitutionis Paganicæ specie, sequitur nunc altera, minùs latè patens ac diffusa, videlicet Pupillaris, ita nuncupata, quod liberis duntaxat impuberibus fiat. Et Masculis quidem usq; ad annum a tatis decimum quartum: Fœminis verò usq; ad duodecimum ætatis annum pupillariter substitui potest. Quod tempus, si exceßerint, Substitutio evanescit. *§. pen. inst. de pupill. substit. L. moribus. 2. in pr. d. L. verbis civilibus. 7. ff. h. t.*

81. Quod si verò testator usq; ad annum decimum pupillariter substituat voluntas ipsius ita observari debet. *L. si ita quis. 21. L. qui plures liberos. 38. §. ergo. 1. L. ex facto. 43. §. item, quero. 1. ff. h. t.* Sin autem usq; ad decimum sextum ætatis annum substituat, voluntas ipsius non ulterius, quam in annum præscriptum observatur. *L. sive generaliu. 61. in pr. ff. de jure dor. L. in pupillari. 14. ff. h. t.* Et post pubertatem facta substitutio adeò inutilis est, ut nec ad causam fideicommissi proficiat. *d. §. pen. Inst. h. t.* Ratio verò, cur pubertas sive maris, sive fœminæ hujus Substitutionis vim excludat? Hæc est: quia pupillaris Substitutio patriæ potestatis pars est, quæ potestas post mortem ultra
tempus

tempus pubertatis non extenditur. *d. L. ex facto. 23. § item quero.*
2. ff. h. t. cum post pubertatem filius sibi ipsi condere testamen-
tum queat. L. à qua etate. 5. ff. qui testam. fac. poss.

82. Ex jam dictis igitur apparet, pupillarem substitu-
tionem dici eam, quæ liberis impuberibus fit. *pr. ibi. liberis suis*
impuberibus. Inst. h. t. L. moribus. 2. in pr. ibi. liberis impuberibus ff. eod. Et
quamvis propriè loquendo pupillus is fit, qui cum impubes
est, in patris sui potestate esse desijt, vel morte, vel emancipa-
tione. *L. pupillus. 239. in pr. ff. de V. S.* At hîc non ordinationem ip-
sam, secundùm quam rectius impuberum Substitutio, sicut ar-
guit. *Rub. C. de impub. & al. substit. nuncupanda esset, sed exitum*
considero, adeò, ut hîc magis temporis, quàm ejus, cui sub-
stitutio facta est, ratio habeatur. Accedit, quod nonnunquam
ij quoq;, qui in sacris paternis adhuc constituti sunt, pupilli
appellantur. *L. fin. §. pupillus. 2. ff. de V. O. L. cum quidam. 4. C. de necess.*
serv. hered. instit.

83. Dividi autem hæc pupillaris substitutio potest, in
pupillarem propriè sic dictam, & quasi pupillarem substitu-
tionem, quæ ad pupillaris exemplum introducta est: *§. quâ ra-*
tione. 1. in fin. ibi. ad exemplum pupillaris substitutionis. Inst. h. t. L. humani-
tatis. 9. ibi. ad exemplum pupillaris. C. de impub. & al. substit. Et primùm
de pupillari propriè sic dicta, postea verò de quasi pupillari
sermonem instituem.

84. Pupillarem itaq; substitutionem propriè sic di-
ctam, definio, quod sit Substitutio heredis moribus introdu-
cta, quâ parens condito sibi testamento, liberis suis impube-
ribus, & sub potestate patriâ adhuc constitutis, heredem in-
stituit in eum casum, quò sui juris adhuc impuberes, demor-
tui fuerint. *pr. juncto §. liberis. 5. & t. r. Inst. hîc. L. heredes. 1. §. fin. L. mori-*
bus. 2. & passim ff. eod. t. r. C. de impub. & al. substit.

85. Moribus hanc substitutionem introductam esse,
assevero. *d. L. moribus. 2. in pr. ff. h. t. L. more. 8. in pr. ff. de adquir. hered. vel*
jure non scripto. §. sine scripto. 9. Instit. de I. N. G. & C. non quidem
Lacedæmoniorum, sed populi Romani: Quotiescunq; et-
enim in jure nostro simpliciter & absolutè juris fit mentio,
semper

semper jus Romanum significatur : teste Sacratissimo Imp. Justiniano in §. sed jus. 2. vers. sed quoties. Inst. eod. quod etiam de moribus asseverari potest, qui juris civilis speciem repræsentant atq; constituunt. §. constat. 3. Inst. d. t.

86. Occasionem autem introducendi pupillarem substitutionem præbuit favor pupilli : cum enim is propter aetatem sibi testamentum condere impediretur. L. à quâ etate. 5. ff. qui testam. fac. poss. parens, qui optimè censetur prospicere velle liberis suis, testamentum condit. L. fin. C. de curat. fur.

87. Persona igitur pupillariter substituens, est testator pater, non verò quilibet, sed is duntaxat, qui liberos suos impuberes in potestate habet. d. pr. Inst. hic. d. L. moribus. 2. in pr. ff. eod. dummodò ipsi testamenti factio adempta non sit, L. in cui lege. 18. in pr. ff. qui test. fac. poss. Si enim sibi testari non poterit, quomodo impuberi ultimum elogium ritè condet? Sicut testamenti factione carent Usurarij L. improbum. 20. C. ex quib. caus. infam. c. fin. vers. nullus. juncto vers. fin. de usur. in 6. Rei Majestatis læsæ. auth. bona damnatorum. in fin. C. de bon. proscript. Nov. 134. cap. fin. in fin. Et hæretici : L. cognovimus. 19. in pr. C. de heret. c. vergentis. 10. X. eod.

88. Atq; hæc parentum conditio non modò tempore substitutionis factæ. §. in extraneis. 4. Inst. de hered. qual. & differ. L. si alienum. 49. §. in Extraneis. 1. ff. de hered. instit. L. coheredi. 41. §. cum filia. 2. ff. h. r. L. pen. ff. de R. I. L. testamento. 6. C. de impub. & al. subtit. Verùm potissimum mortis testatoris tempore consideranda venit. d. L. moribus. 2. in pr. ff. h. r.

89. Avus etiam paternus rectè pupillariter substituere potest. d. L. moribus. 2. in pr. vers. nepotibus. ff. h. r. quatenus scilicet Nepotes in patris sui potestatem recasuri non sunt. arg. §. fin. Inst. de par. pot.

90. Sed num mater & avus maternus pupillariter substituere dicantur? indagare hîc lubet; Negativa veritati consona est. Ratio est: quia non habent liberos in potestate. §. femine. 10. Inst. de adopt. d. §. fin. vers. qui autem. Inst. de par. potest. d. L. moribus. 2. in pr. ff. h. r. L. illud. 4. §. ad testamenta. 2. ff. de bon. poss. cont. tab. L. nulla. 13. ff. de suis. & leg. Quod si verò statuto contrarium introductum
repe

reperiatur, illud merito valebit, cum talia Statuta Legis vim ob-
tineant.

91. Hæc autem pupillaris Substitutio celebrari aliter
haud potest, quam confecto etiam paterno testamento: Nisi e-
nim parens sibi ipsi testamentum condant, hæc substitutio nulli-
us efficaciam erit. Nam pupillare testamentum est pars & sequela
testamenti paterni, adeo, ut si patris testamentum non valeat,
nec filij valebit. §. Eiberus. 5. Inst. h. t. d. L. moribus. 2. §. prius. 4. L. ex duobus.
34. §. fin. ff. eod. L. Papinianus. 8. §. sed nec. 5. ff. de inoff. test. L. cum principalis.
178. ff. de R. I. Et licet duo quodammodo testamenta esse videan-
tur. §. igitur. 2. Inst. h. t. tamen pro uno habentur. L. patris & filij. 20. in
pr. ff. eod.

92. Neque refert, an simul, an vero duobus solennibus te-
stamentorum actibus hæc peragantur. L. si quis eum. 16. §. si suo. 1. ff.
h. t. modo si diverso tempore confectum sit utrumque testamen-
tum, solennia reiterentur. d. L. si quis. 16. §. si suo. 1. junctâ. d. L. patris &
filij. 20. in pr. ff. d. t. At si uno tempore peracta fuerint, una sufficiet
solennitas, nec testium numerus multiplicabitur. d. §. igitur. 2. Inst.
h. t. d. L. patris & filij. 20. in pr. ff. eod.

93. Fit autem hæc pupillaris substitutio liberis testato-
ris sub patriâ potestate adhuc constitutis. pr. ibi. liberis. item ibi. in po-
testate. Inst. h. t. L. moribus. 2. in pr. ibi. liberis. item ibi. si sint in potestate. ff. eod.
impuberibus. d. pr. ibi. impuberibus. d. L. 2. ibi. impuberibus. tam natis,
quam nascituris, §. non solum. 4. in fin. Inst. h. t. d. L. moribus. 2. in pr. ibi. post-
humis plane possumus. ff. eod. Ratio est: quia qui adhuc in utero sunt,
licet incertus eorum sit sexus, pro jam natis tamen utilitatis
causa habentur. L. qui in utero. 7. junctâ L. pen. ff. de statu hom. L. pregnan-
ti. 3. ff. de pæn. L. quod dicimus. 231. ff. de V. S. At pupillaris Substitutio
non modo utilitatis causa, verum etiam in honorem liberorum
introducitur. L. ex facto. 43. in pr. ff. h. t.

94. Impuberibus etiam adoptatis pupillariter substitui
potest. d. L. moribus. 2. in fin. pr. d. L. sed si plures. 10. §. pen. ff. h. t. quod ta-
men non simpliciter, sed cum mica salis accipiendum est, si vi-
delicet à conjunctâ personâ fuerint adoptati, & in ejus trans-
eant potestatem. Quod si vero ab Extraneo adoptati fuerint, in
patris

D

patris sui naturalis potestate permanent: §. *sed hodie*. 2. *Inst. de adopt.*
L. pen. C. eod. Atq; hac ratione pupillariter ipsis substitui non
potest. *95.* Sic pupillariter substitui potest adrogatis, non equi-
dem in omnibus bonis, sed saltem in ijs, quæ ab adrogatore ha-
buerunt. *L. si adrogator. 22. §. sed an impuberi. 1. ff. de adopt. d. L. sed si plures.*
10. §. pen ff. h. t. Bona enim, quæ ante adrogationem habuerunt, ad
proximos adgnatos recidunt. *L. non aliter. 18. ff. de adopt.*
96. Non modò autem liberis institutis, verùm etiam ex-
heredatis pupillaris substitutio fieri potest. *d. §. non solum. 4. in fin.*
Inst. hic. L. heredes. 1. §. substituere. 2. L. sed si plures. 10. §. ad substitutos. 5. ff. eod.
Ratio est: quoniam basis & fundamentum istius substitutionis
non ex bonis paternis, sed ex patriâ potestate dependet, quæ in
filio exheredato nihilominus suum vigorem extendit. *pr. Inst. h. t.*
L. moribus. 2. in pr. ff. eod. L. filius. 28. §. filius familiars. 1. in fin. ff. de lib. & posth.
L. si quis. 6. in pr. ff. de injusto, rupto, & c.
97. Quos verò pater in potestate non habet, his præsens
substitutio fieri nequit. *arg. §. jus autem. 2. Inst. de pat. potest. §. fin. Inst. de*
nupt. quales sunt emancipati & naturales tantum. d. L. moribus. 2. in
pr. ff. h. t. aut b. si quis. C. de natur. lib. Secus est, si per subsequens matri-
monium legitimati fuerint: tunc enim cum reliquis liberis legi-
timè natis, parentibus per omnia æqualiter succedunt, omniaq;
legitimorum liberorum jura, imò ipsum Sui-tatis jus conse-
quuntur, & perinde habentur, ac si ab initio legitimè nati fue-
rint. *§. Sui autem. 2. vers. quibus. Inst. de hered. qua ab intest. deser. L. Divi. 5. L.*
cum quinto. C. de natural. lib.
98. An verò id, quod de legitimatis per subsequens ma-
trimonium dictum est, etiam ad legitimatos per rescriptum
Principis extendatur? non immeritò in dubium vocari potest:
quamvis enim & hi legitimè natis æquiparentur, id tamen in pri-
mis de casibus in jure expressis & definitis intelligi debet. Multi
siquidem in jure nostro reperiuntur casus, in quibus hoc mo-
do legitimati, ab ijs, qui per subsequens matrimonium legiti-
mantur, differunt.
99. Cæterum substituit pater, non modò in Profecitijs,
verùm

verum etiam in Adventitijs bonis. *d. L. sed si plures. 10. §. ad substitutos.*
5 ff. h. r. L. si ira. 8. §. qui filio. 1. ff. de bon. poss. sec. tab. & vel in omnibus, vel
in aliqua re: quæ tam non particularis substitutio etiam ad reliqua
bona trahitur. d. L. coheredi. 41. §. fin. ff. h. r. ne videlicet testator pro
parte testatus & pro parte intestatus decedat. L. jus nostrum. 7. ff. de
R. I.

100. Idem quoque in Legitimâ impuberis locum obti-
net. *L. ex tribus. 26. C. de inoff. testam. quamvis ea fideicommissio gra-*
vare non possit. D. quoniam. 32. C. eod.

101. Ad formam substitutionis pupillaris pertinet: Pri-
mò: Ut sint liberi impuberes, quibus substituitur. Non enim o-
mnibus, sed tantum liberis impuberibus pupillariter substitui
potest. *Vide supra concl. 80. cum duab. seqq.* Ratio est: quia cum in illâ
ætate condere testamentum haud possint, vis patriæ potestatis
usque ad pubertatem producitur.

102. Secundo: Ut sint in potestate, tum tempore testa-
menti conditi, tum tempore mortis testatoris. *L. si alienum. 49. §. in*
extraneis. 1. ff. de hered. instit. Ratio (1.) est: quia quod ab initio vitio-
sum est, tractu temporis convalescere nequit. *L. quod initio. 29. ff. de*
R. I. At isthæc pupillaris substitutio quæ valeat, si sub potestate
testatoris non sit is, cui fiat? Ratio (2.) est: quoniam pupillaris
substitutio expirat, si quis in vivis adhuc existente parente, sub
potestate esse desinat. *L. coheredi. 41. §. cum filia. 2. ff. h. r.*

103. Tertio: Ut hæc substitutio nunquam in casum pri-
mum, at semper in casum secundum fiat: Quemadmodum enim
Vulgaris Substitutio semper in casum primum, *si heres non erit,*
fieri solet: sic hæc pupillaris semper in casum secundum: si filius
heres erit. At impubes decesserit, fieri debet, L. jam hoc jure. 4. in fin. pr. L. Lu-
cius Titius. 45. in pr. ff. h. r. L. precibus. 8. C. de impub. & al. substit.

104. Quarto: Ut declaretur voluntas testatoris, quæ vel
expressa est, vel tacita: Atque sic pupillaris substitutio, æquè ac
Vulgaris in Expressam & Tacitam dividi potest. *d. L. jam hoc jure. 4.*
in pr. ff. h. r. Veluti: si ita dicat testator: *Si filius meus intra pubertatem de-*
cesserit. Titius ei heres esto: vel, Titium ei substituo. Aut, si filius meus heres erit,
& in pupillari ætate decesserit, substituo ipsi Nicolaum. pr. Inst. h. r.

105. Expresse facta intelligitur pupillaris substitutio, si testator tali substituendi formulâ usus fuerit, quæ conditionem & ipsum pupillarem casum exprimat: Veluti, si *Mævius filius meus heres erit, & intra pubertatis annos decesserit, Seivus heres esto.* pr. Inst. h. t. L. heredes. 1. §. heredis. 1. L. coheredi. 41. §. fin. ff. eod.

106. Tacita pupillaris substitutio est, quæ sub Vulgari expressâ, ex verosimili testatoris intentione colligitur. Veluti, si testator filium suum impuberem in potestate constitutum, heredem sibi scripserit, & postea dixerit: *si filius meus heres non erit, Sempronius mihi heres esto.* Quæ formula, licet vulgarem substitutionem inducat, pr. Inst. de vulg. substit. Tamen ex præsumptâ patris mente, si filius post aditionem intra pupillarem ætatem decedit, substitutioni locus relinquatur. d. L. jam hoc jure. 4. in pr. ff. h. t. L. quamvis. 4. C. de impub. & al. substit.

107. Regulariter autem omnis substitutio institutionem præsupponit. §. liberis. 5. Inst. h. t. d. L. moribus. 2. §. quisquis. 1. & §. prius 4. L. qui plures. 38. §. fin. ff. h. t. quamvis inversio ordinis in uno contextu facta, non vitiet actum. L. & si. 3. §. ante heredis. 3. ff. de lib. & posth. L. qui testatur. 1. in pr. L. quo loco. 20. in pr. ff. de hered. inst. §. ante heredis. 34. Inst. de legat. secus tamen est, si ex intervallo fiat.

108. Et cum patris testamentum imperfectum inter liberos admittatur. L. hæc consultissimâ. 21. §. ex imperfecta. 1. C. de testam. Quæritur: An etiam substitutio in tali testamento subsistat? Distinguo: Aut enim unus ex Liberais est substitutus, & tunc substitutio illa cum testamento pari fruitur jure. c. accessorium 12. de R. I. in 6. Aut Extraneus est substitutus, & tunc substitutio corrui. d. L. hæc consultissimâ. 21. §. ex imperfecto. 1. C. de testam.

109. Quoad Effectum pupillaris substitutionis primò sciendum est, quod sub pupillari expressâ, tacita vulgaris comprehendatur. L. quamvis. 4. L. precibus. 8. C. de impub. & al. substit. Hinc quæstio existit: Utrum pupillari substitutione factâ, & pupillo vivo testatore defuncto, testamentum saltem ex tacitâ Vulgari confirmetur, ut substitutus admitti possit? Ab Affirmativâ dimovere me non patior. arg. L. Thais. 41. in pr. juncto. §. Spendophorus. 16. ff. de fideic. libert. L. quod si filius. 11. in pr. ff. de capt. & postlim. rev.

110. E re

110. E re erit hinc subungere: Si pupillaris substitutio facta sit posthumo, isque non nascatur, an substitutus saltem ex tacita vulgari admittatur? Adfirmare non erubesco per *L. jam hoc jure. 4. in pr. ff. h. r. junct. L. pen. C. de instit. & substit.*

111. Secundus pupillaris substitutionis effectus est, quod videlicet adita patris hereditate, & impubere denato, bona ad substitutum devolvantur. *pr. Inst. h. r. L. sed si plures. 10. §. si ex asse. 4. ff. eod.* Bona dico, non modo patris, verum etiam pupilli propria, & undecumque adquireta. *d. L. sed si plures. 10. §. si substitutos. 5. ff. h. r.* Non enim paternam hereditatem repudiare, & impuberis adire potest. *d. L. moribus. 2. §. quisquis. 1. ff. h. r. L. jus nostrum. 7. ff. de R. I.* Et quamvis substitutio facta sit in re certa. *L. coheredi. 41. §. fin. ff. h. r.* nihilominus tamen trahitur ad universa pupilli bona, veluti, si facta fuerit in Legitima, vel in bonis pupilli sine decreto alienatis: Quod si vero pupillus paternam hereditatem dereliquerit, tunc substitutus solam pupillarem adire poterit, & a creditoribus paternis securus erit. *L. paterfamilias. 13. ff. de privil. credit.*

112. Tertius pupillaris substitutionis effectus est, quod non solum per Expressam, verum etiam per Tacitam omnes ab intestato venientes, excludantur: Ratio est: quia quamdiu speratur heres ex testamento, tamdiu legitimus non admittitur. *ff. quamdiu. 3. L. quamdiu. 69. ff. de acquir. hered.* At hic substitutus est heres ex testamento: Quare omnes ab intestato venientes, per hunc excludentur. Quare ratio in matre quoque filij impuberis locum obtinet, ut haec per substitutum excludatur: Est enim haec substitutio testamentum pupilli, quod pater ei fecit. *L. Papinianus. 8. §. sed nec. 5. ff. de inoff. testam. L. Lucius Titius. 45. in pr. ff. h. r. L. hereditatem. 2. L. quamvis. 4. C. de impub. & al. substit. c. si pater. 1. in fin. de testam. in 6.* Et quidem rigore juris considerato etiam a Legitima: Quam tamen iniquitatem *Serenissimus Elector Saxoniae Divus Augustus. p. m. correxit, in Constit. 8. par. 3.*

113. Extinguitur haec substitutio, vel ex personam ipsius testatoris, vel ex personam pupilli, cui facta est, vel ex personam substituti. Ex testatoris personam extinguitur, si parens, qui pupillare testamentum condidit, deportatus, vel etiam capitis diminutio-

nem passus fuerit, quâ Civitatem perdidit. *L. si quis. 8. §. irritum. 5. ff. de injusto. rupro, & c.* nisi ex Lege corneliâ sit restitutus. *L. Lex cornelia. 28. ff. h. t.* Aut quando aliud testamentum fecerit. *L. si quis. 16. §. si suo. 1. in fin. ff. eod.* Aut si ipsius hereditas non fuerit adita. *L. si nemo. 181. ff. de R. I.* Aut testamentum adgnatione posthumi ruptum sit. *§. rumpitur. 1. in fin. Inst. quib. mod. test. in. infirm. L. testamentum. 1. L. posthumi. 3. in pr. ff. de injusto, rupro, & c. L. si pater. 26. ff. h. t.* Substituto enim locus esse nequit, cum testamentum in totum rumpatur, nisi natus in vita testatoris rursus decesserit. *L. posthum. 12. in pr. ff. de injusto, rupro, & c.*

114. Cæterum per querelam inofficiosi, rupto testamento, si totum corrumpitur, pupillaris extinguatur: Deficit enim nomen heredis. *§. liberis. 5. Inst. h. t.* quare & substituti deficiet: Quando vero per bonorum possessionem contra tabulas defuncti elogium infringitur, pupillaris substitutio conservatur. *L. ex duobus. 34. §. si junctâ L. seq. ff. h. t.* Id quod etiam hodie per auct. ex causa. *C. de liber. præter. & Nov. 115. cap. 3.* locum obtinet.

115. Ex personâ pupilli extinguatur: Vel adveniente pubertate. *§. pen. Inst. h. t. L. moribus. 2. in pr. L. verbis civilibus. 7. L. in pupillari. 14. ff. eod.* Vel, si impubes in sacris patris debito naturæ satisfecerit. *d. L. lex cornelia. 28. junctâ L. seq. ff. h. t. L. pater. 10. in pr. ff. de capt. & postlim. rev.* Vel, si in vivis adhuc existente parente de potestate exierit: *L. coheredi. 41. §. cum filie. 2. ff. h. t.* Vel, si post ipsius obitum in alterius potestatem reciderit. *d. L. moribus. 2. in pr. ff. eod.* Vel, si quam capitis diminutionem passus fuerit: Vel, si quæ alia extrinseca conditio defecerit. *L. qui liberis 8. in pr. ff. h. t.*

116. Denique ex personâ ipsius substituti extinguatur: si videlicet tempore mortis hereditatis capax non sit. *L. si 11. 6. L. si 11. ff. h. t.* vel, si ante pupillum moriatur. Spes enim substitutionis denato substituto, ad heredes non transmittitur. *L. sed si plures. 10. in pr. ff. eod. L. un. §. si autem 7. de caduc. toll.*

117. Visâ pupillari substitutione propriè sic dicta, ad quasi pupillarem progredior, ita nuncupatam, quod videlicet ad exemplum pupillaris substitutionis introducta sit. *§. quâ ratione. 1. ibi. ad exemplum pupillaris substitutionis. Inst. de pup. subst. L. humanitatis. 9. ibi. ad exemplum pupillaris. C. de impub. & al. subst.* Et licet à nonnullis ex
Inter-

Interpretibus exemplaris dicatur, id tamen in scite & inconsiderate fieri manifestum est: Eadem etenim ratione peculiū quasi Castrense, quod filius familiās in Togatā Militiā, puta, opera forensi, aut artium liberalium professione, aliove munere publico sibi paravit. *L. cum oportet. 6. in pr. C. de bon. qua. lib.* exemplare dicendum foret: Nam & hoc ad illius exemplum introductum est, quod filius familiās in Militiā Armata, utpote, expeditione & castris adquisivit. *L. si forte. 8. L. castrense. 11. ff. de cast. pecul. L. si in potestate. 1. & t. r. C. eod.* Quod tamen a veteribus Ictis nunquam exemplare, sed quasi castrense appellatum est. *L. fin. in pr. C. de inoff. testam.* Simili modo actio hypothecaria ad exemplum servianæ introducta est, & hinc quasi serviana vocatur. *§. item serviana. 7. vers. quasi serviana. Inst. de action.* Sic quarta Trebellianica repræsentat quartam propositam ex Lege falcidiā. *§. sed quia. 5. Inst. de fideic. hered.* Non tamen hac de causā quarta Exemplaris intitulatur.

118. Definitur autem quasi pupillaris substitutio, quod sit substitutio, quā parens liberis suis mente captis, furiosis, prodigis vel similibus, cujuscunque gradus vel ætatis sint, heredibus institutis, certas personas substituit, in eum casum, quò heredes erunt, & in furore vitā functi fuerunt. *d. §. quā ratione. 1. Inst. de pup. subst. d. L. humanitatis. 9. C. de impub. & al. subst.*

119. Hæc quasi pupillaris substitutio ex Constitutione Justinianæ effluxit. Justinianus namque Imperator humanitatis intuitu eandem introduxit. *d. §. quā ratione. 1. ibi. etiam constitutionem posumus. Inst. de pup. subst. d. L. humanitatis intuitu parentibus indulgemus. 9. C. de impub. & al. subst.* Quibus verbis testatur, se id indulgere, quod antea concessum non fuit, maximè cum veteribus Ictis duo tantum substitutionum genera cognita erant, nimirum vulgare & pupillare. *t. r. Inst. de vulg. & pup. subst. t. r. ff. eod.* Causa autem impulsiva in Imperatore fuit, humanitatis ratio, quam ipse profert in *d. L. humanitatis intuitu. 9. C. de impub. & al. subst.*

120. Quasi pupillariter substituit non modò pater, cujus sub potestate sunt liberi mente capti vel amentes, verum etiam mater, avia & avus maternus. *L. sed si. 10. §. liberos. 5. ff. de in jus voc. L. appellatione. 51. ff. de V. S. d. L. humanitatis. 9. ibi. licet parentibus. item ibi. qui vel quæ testatur.*

restatur. & ibi. testatori vel testatrici. C. de impub. & al. subst. Ratio est: quoniam æqua humanitas & pietas est matri erga liberos, quæ patri L. furiose. 4. ff. de curat fur. Licet mater vidua ad secunda vota transeat, cum textus generaliter loquantur, nec uspiam reperiatur, quod mater talis substituendi facultate fuerit privata: & hinc imprimis favor liberorum considerandus veniat: Quamvis legibus bonorum administratio hoc in casu ipsi adempta sit. L. lex que. 22. ferè circa fin. C. de administ. tutor. L. educatio. 1. C. ubi pupill. educ. Quæ igitur de parentibus prolata sunt, rectè quoque ad avum & aviã maternam extèduntur. d. L. humanitatis. 9. vers. non liceat. C. de impub. & al. subst.

121. Parens tamen, in cujus sacris constituti sunt liberi furiosi, reliquis omnibus, ipsis simul substituere desiderantibus, præfertur. Ratio (1.) est: quia tùm patria potestas anteponitur, adeoque mater & avus maternus non admittentur. arg. L. fin. in pr. C. de Curat fur. Ratio (2.) est: quoniam in patre occurrit duplex vinculum, jus nimirum naturale & Civile simul, quod meritò juri naturali tantum prævalebit. arg. §. sed hodiè. 2. Inst. de adopt. L. pen. C. eod.

122. Quasi pupillariter substitui potest liberis mente captis & furiosis, qui licet aliàs in jure nostro sibi invicem opponantur. §. furiosi. 3. §. sed & mente capti. 4. Inst. de Curat. L. si furiosi. 2. in pr. juncto vers. & aliam. C. de nupt. Hinc tamen eos conjunctim considero. d. §. quã ratione. 1. Inst. de pub. subst. & d. L. humanitatis 9. C. de impub. & al. substi. Si enim mente captis ita substitui potest, cur non furiosis? Majus namque malum furor, quam mentis privatio est. L. si cum dotem. 22. §. si maritus. 7. ff. sol. matrim. L. qui servum. 47. ff. de acquir. hered. l. si ei. 2. §. furiosus. 3. ff. de jure codicill. L. furiosi. 40. ff. de R. I.

123. Furiosos autem & mente captos hinc subintelligo eos, quibus nullus planè est consensus. L. emptionem. 2. C. de contrah. empt. nulla voluntas. d. L. furiosi. 40. ff. de R. I. nulla mens. L. si ei. 2. §. furiosus. 3. ff. de jure codicill. nullus animi sensus. d. L. si cum dotem. 22. §. si maritus. 7. ff. sol. mat. & qui in omnibus ac per omnia absentium vel dormientium loco reputantur. d. L. si ei. 2. §. furiosus. 3. ff. de jure codicill. L. possessio. 1. §. furiosus. 3. ff. de acquir. possess. L. ubi. non voce. 12. §. furiosus. 1. ff. de R. I. vel, qui continuã mentis alienatione agitantur, rapiuntur & torquentur. L. Divus. 14. ff. de offic. præsid. L. cum Prætor. 12. §. non autem. 3. ibi. perpetuo

perpetuò furiosus. ff. de iudic. Diversum obtinet in ijs, qui spurio saltem
furore laborant, & dilucida quædam intervalla habent. arg. d. L.
Divus. 14. ff. de offic. præsid. d. L. si cum dotem. 22. §. si maritus. 7. ff. sol. mat. L.
cum aliis. 6. C. de Curat. fur. L. furiosum, 9. C. qui testam. fac. poss.

124. Similiter quasi pupillariter substitui potest prodigis:
hi enim quoad bonorum administrationem furiosis planè sunt
similes. L. hi. qui. 12. §. ult. in fin. ff. de tutor. & curat. dat. L. curatores. 1. C. de
curat. fur. Item q̄ liberis naturalibus, cum liberorum nomine cõ-
tineantur. arg. L. ex facto. 17. §. si quis. 6. ff. ad SC. Trebell. Nec non legiti-
mis tantum. L. si adrogator. 22. §. sed an impuberi. 1. ff. de adopt. L. sed si plu-
res. 10. §. pen. ff. de vulg. & pup. & legitimatis: nusquam enim hoc pro-
hibitum reperitur: Non verò spurij: auth. ex complexu. C. de incest.
nupt. Nov. 89. cap. fin. neq; phreneticis. arg. L. Labeo. 1. §. apud Vivianum. 9.
ff. de edil. edict.

125. Surdis & mutis simul morbo ita factis, dummodò
signis declarare mentem suam possint, quasi pupillariter substi-
tui nequit. §. item surdus. 3. Inst. quib. non est perm. ff. fac. testam. L. discretis.
10. C. qui test. fac. poss. Diversum obtinet in ijs, qui ita nati sunt d. L.
discretis. 10. æquitate hoc ita suadente. arg. L. in summa. 2. §. item Varus.
5. in fin. ff. de aqua & aq. pluv. arc.

126. Sed quæstionis est non inutilis: Nùm pater filijs im-
puberibus, furiosis & mente captis pupillariter & quasi pupilla-
riter substituere possit? Adfirmativæ sententiæ calculum addo:
Ratio est: quoniam non est novum in jure nostro, ut in uno testa-
mento plures substitutionum species concurrant. L. jam hoc jure.
4. in pr. ff. de vulg. & pup. L. quamvis. 4. C. de impub. & al. substit.

127. Utrum autem pater filio suo mente capto exhere-
dato, ad exemplum pupillaris substitutionis, secundū in casum
substituere possit? indagare hîc lubet: Aientium opinationi sub-
scribendum esse censeo. Ratio est: quia pupillaris substitutio
potest fieri filio impuberi, exheredato: sicut supra in concl. 96. asserui.
Quid igitur impedit, quò minus & quasi pupillaris filio impube-
ri, mente capto & exheredato fieri queat, cum tamen ad exem-
plum pupillaris ab Imperatore Justiniano introducta sit? Vide
suprà concl. 117. & 119.

128. Porrò, mente captis & furiosis substituuntur fratres,
E si ad-

si adsint. §. quâ ratione. 1. Inst. de pupill. substit. L. humanitat. 9. C. de impub. & al. substit. Non autem necesse est, ut omnes substituuntur, sed ex indultu Justiniani unum instituere sufficit. d. L. humanitat. 9. ferè circa fin. ibi. unum, vel certos, vel omnes. neq; filij hâc ratione de patris testamento conqueri possunt, cum sibi ipsi non condiderit elogium, sed avus. L. Papinianus. 8. §. sed nec. 5. ff. de inoff. testam. Licet æquitas militet in contrarium: quia testamentum mente capti & furiosi eo modo formatum esse debet, quò ab ipso procul dubio conceptum, si sanæ mentis fuisset: Non verò est verosimile, quod in eo reliquos fratres præterisset.

129. Præterea hæc substitutio in omnibus parentis & liberorum bonis, undecunq; quæsitis, peragitur. arg. L. jus nostrum. 7. ff. de R. L. adeò, ut tota legitima, non verò pars ejus, ad removendam querelam inofficiosi testamenti liberis amentibus relinquenda sit. L. omnimodò. 30. L. quoniam. 32. C. de inoff. testam. d. L. humanitat. 9. ibi. legitimâ portione ei, vel eis relicta. C. de impub. & al. substit. quæ sicut in alienâ re non potest constitui, ita nec substitutio in alienâ re valebit. L. scimus. 36. in fin. pr. ibi. ex rebus substantia patris, junctâ auth. novissima. ibi. ex substantia deficientis. C. de inoff. testam. Nov. 18. cap. 1. & electio danda est liberis, ex quâ parte bonorum legitimam petere velint, cum creditorum loco sint. L. non amplius. 26. §. fin. junctâ L. seq. ff. de legat. 1.

130. Forma quasi pupillaris substitutionis eadem ferè est cum pupillari: Nam pater primùm sibi testamentum facit, deinde liberos mente captos instituit, & postea iisdem substituit. pr. junctò §. sed hæc quidem. 5. Inst. de exhered. liber. L. inter 30. ff. de liber. & posth. d. L. humanitat. 9. C. de impub. & al. substit. Nov. 115. cap. 3. Requiritur etiam, ut dementia duret, vel tempore testamenti conditi, vel mortis testatoris, & ut ejus in testamento mentio fiat.

131. Effectus hujus substitutionis est, delatio hereditatis ad substitutum, cum in casum, quò mente capti & furiosi in dementia denati sunt. d. §. quâ ratione. 1. Inst. de pupill. substit. d. L. humanitat. 9. C. de impub. & al. substit. Idq; adeò verum est, ut substitutus directò bona mente capti & furiosi consequatur, nec non matrem & alios ab intestato venientes excludat. d. L. humanitat. 9. C. d. t.

132. Extinguitur hæc substitutio, vel ex personâ ipsius testatoris,

10
statoris, vel ex personâ ejus, cui substituitur. Ex personâ testato-
ris: quando testamentum ob defectum solemnium nullum est,
vel per capitis diminutionem testatoris robur suum amittit. *L.*
si quis. 6. §. irritum. 5. ff. de injusto, rupto, &c. vel aliâ ratione dissolvitur.
L. posthumi. 3. in pr. ff. eod. L. si filius. 12. ff. de vulg. & pup. L. si nemo. 181. ff. de R. I.

133. Ex personâ ejus, cui substituitur, extinguitur, morbo
seu vitio animi desinente, quod fit, si liberi furiosi aut mente capti
resipuerint. *d. L. quâ ratione. 1. vers. sin autem resipuerint. Inst. de pupill. subst.*
d. L. humanitatis. 9. ibi si postea resipuerit vel resipuerint. C. de impub. & al. subst.
vel si liberos susceperint. L. patris. 8. C. de his, qui sui vel al. jur. vel si
frater supervenerit. arg. d. L. humanitatis. 9. in fin. C. de impub. & al. subst.

134. Haec de Paganicâ heredum substitutione ser-
monem institui: Restat nunc Militarem paucis cognoscere, quæ
inde denominata est, quod videlicet Militibus cõcedatur: quam
nostros compendiosam nuncupârunt, quod compendio qua-
si multa tempora, omnesq; præcedentes species in se comple-
ctatur. *L. precibus. 8. vers. si verò. C. de impub. & al. subst.*

135. Definitur autem Militaris substitutio, quod sit sub-
stitutio, quâ Militibus in expeditione degentibus, non modò
Suis, verùm etiam Emancipatis, ultrâ pubertatem, nec non Ex-
traneis in secundum casum, quovis modo, etiam ad certam
tempus substituere permiffum est.

136. Comperit hæc Substitutio Militibus in expeditio-
ne degentibus. *pr. ibi. cum in expeditionibus occupati sunt. Inst. de milit. te-*
stam. L. pen. ibi. qui in expeditionibus occupati sunt. C. eod. L. fin. ibi. qui in expe-
ditionibus occupati sunt. C. quib. non obijc. longi temp. præscript. Quemadmo-
dum etiam Clericis & Monachis certa beneficia indulgentur,
ut aliis omnibus derelictis, Dei omnipotentis ministerio inhæ-
reant. L. generaliter. 52. §. eos. 1. in fin. C. de Episc. & Cler.

137. Conceditur autem hoc Privilegium Militibus ob ju-
ris Imperitiam: Nam dùm in expeditionibus occupati sunt, sig-
gnis & numeris suis penitus inhærent, sicut inhære debent. *L.*
milites. 15. C. de re milit. Jurisprudentiæ operam dare nequeunt. L.
nemo. 13. C. eod. Eoq; nomine Cajus Marius apud Valer. Max. lib. 5. cap. 2.
suam Juris imperitiam verè sciteq; excusavit, dicendo: Inter ar-
morum strepitum se verba Juris Civilis exaudire non potuisse.

E 2

138. Et

138. Et quidem ex privilegiato jure, ut non modò Suis, verùm etiam emancipatis, ultrà pubertatem, nec non Extraneis in secundum casum, quovis modo, ex certo tempore & ad certum tempus substituere possint. *L. Centurio. 15. ff. de vulg. & pup. L. miles. 41. §. pen. ff. de testam. milit. L. in testamento. 6. C. eod. L. precibus. 8. C. de impub. & al. subst.* Testamentum enim Militis valet, prout vult. *L. eum filius familiars. 28. ff. de testam. milit.* adeò, ut etiam contra communem juris regulam. in *L. jus nostrum. 7. ff. de R. I. positam*, pro parte testatus, & pro parte intestatus decedere queat. *L. si miles. 6. ff. de testam. milit.* Quæ omnia in pagano secùs se habent. Paganus namq; Extraneo substituere nequit. *§. fin. Instit. de pupill. substit.* neq; ex certo tempore & ad certum tempus heredem habere potest. *§. heres. 9. Instit. de hered. instit. L. hereditas. 34. ff. eod.*

139. Hoc etiam Privilegio gaudent milites nostri seculi, in hostili loco & sub armatâ militiâ merentes. *pr. Instit. de milit. testam. L. ex militari. 11. §. fin. ff. eod. L. un ff. de bon. poss. ex testam. mil. nec non ij, qui sunt in procinctu. L. item miles. 18. ff. de re judic. sive sint equites, sive pedites, sive majores, sive minores, sive ordinarij, sive extraordinarij milites* Item, qui accepto in militiâ vulnere in propinquum locum sui curandi causâ transierunt, ut redeant. *arg. L. miles. 34. in pr. L. qui mittuntur. 35. §. fin. junctâ L. seq. ff. ex quib. caus. major. L. desertorem. 3. §. qui stationis. 5. L. qui cum uno testiculo. 4. §. fin. ff. de re milit.* durat enim Privilegium, quatenus militant, & quatenus militiæ qualitatem habent. Et illi, qui aliquando comœatu accepto absunt, ita tamen, ut reverti velint. *d. L. miles 34. in pr. d. L. qui mittuntur. 35. §. fin. junctâ L. seq. ff. ex quib. caus. major* modicum namq; tempus absentiae vel praesentiae non curatur. *L. ab hostibus. 15. §. fin. ff. eod.* Item, limitanei, stationarij & stipendiarij milites in acie consistentes, nec à cingulo recedere audentes.

140. Similiter Clerici, qui vulgò dicuntur *Seldprediger* nuncupantur, non modò, si in procinctu sunt, verùm etiam quando in castris seu expeditione versantur, militum privilegij gaudent: Sunt enim milites cœlestis militiæ. *arg. 1. Timoth. 1. vers. 19.* nec juriam operam navare possunt. Doctoribus itidem & Consiliariis bellicis, den *Kriegsräthen* idem jus, si in actu belli testantur, tribuitur, cum

cū ibi solennitatibus in jure præscriptis uti nequeant: Nec non militibus de statu suo dubitantibus. *L. ex militari. 11. §. si miles. 1. ff. de testam. milit. & surdis & mutis. L. jure militari. 4 ff. eod.*

141. Hisce tamen privilegijs non utuntur milites actu haud militantes: quales sunt: torquati, cruciferi vel crucigeri, & aurati. *can. jus militare. 10. distinct. 1.* quamvis ratione reverentiæ, dignitatis & Nobilitatis alijs privilegijs haud immeritò muniti sint: Quemadmodum nec ad Licentiatos & Doctores Juris, causarumq; Patronos hoc privilegium extenditur, ne videlicet, si eo uti cupiant, ipsis abijciatur. Quod turpè sit Licentiato & Doctori, causas oranti, jus in quo versetur, ignorare. *L. necessarium. 2. §. Servius. 43. ff. de O. I.*

142. Admittitur porrò hic Substitutus, in universis bonis testatoris, vel in tota hereditate. *L. Centurio 15. ff. de vulg. & pup. L. precibus 8. C. de impub. & al. substit. vel in re certâ, puta, domo vel fundo. L. coheredi. 41. §. fin. ff. de vulg. & pup. L. cogi. 16. §. sed & si miles. 6. ff. ad SC. Trebell. reliquis bonis ad legitimos heredes devolutis. L. ex militari. 11. §. fin. ff. de testam. milit.* Et non modò in testatoris, verùm etiam heredis bonis: adhibitâ tamen differentiâ, quàm nobis Acutissimus Papinianus. *lib. 6. respons.* proponit in *d. L. Centurio. 15. ff. de vulg. & pup.* Adde *L. si miles. 6. ff. de test. milit. & d. L. precibus. 8. C. de impub. & al. substit.*

143. Forma Militaris Substitutionis pro circumstantiarum varietate, varia est: Præcipuè verò attendendum venit, quod hæc vel pura, vel alij immista sit. Pura, cū miles extraneo, vel liberis puberibus, sanæ mentis ad certum tempus substituit: Ideò sic dicta, quoniam per se nulli alij adcedit, cujus formula ita vulgò concipitur. *Seius si intra Tricesimum annum decesserit, Sempronius heres esto: L. milites. 5. L. miles. 41. in pr. juncto. 9. pen. ff. de test. mil. & L. in testamento. 6. C. eod.*

144. Immista Militaris Substitutio est, quæ alij Substitutionis speciei adjungitur: veluti, cū miles liberis suis impuberibus vel mente captis eodem substituit gradu. *d. L. Centurio. 15. ff. de vulg. & pup. d. L. precibus. 8. C. de impub. & al. substit.*

145. Et hæc iterùm vel expressis formulis, vel verborum compendio concipitur: Per expressas formulas Militaris Substi-

tutio tūm facta perhibetur, si miles testator ita substituatur. *si filius meus Seius heres extiterit, at vel intra pubertatem vel postea decesserit, Sempronius heres esto.* In hac formulā claris verbis duæ substitutionum species exprimentur, pupillaris videlicet, si intra pubertatem, & militaris, si post pubertatem decesserit. *d. L. Centurio. 15. ff. de vulg. & pup. d. L. in testamento. 6. C. de testam. milit. d. L. precibus. 8. vers. si vero. ibi. vel expressa, vel compendio. C. de impub. & al. substit.*

146. Per verborum autem compendium miles substituiffe creditur, si tempus, quod pubertatem liberorum, vel eorum demerentiam excedit, sigillatim non expressit. Exempli gratiā, si tali formulā usus fuerit: *Titius filius meus, quandocunq; decesserit, Mævius heres esto.* Quæ formula, quoniam nimis generalis est, per verborum compendium militaris substitutio facta intelligitur.


147. Effectus hujus militaris substitutionis idem est, ac reliquorum, nimirum hereditatis ad substitutum devolutio. *d. L. Centurio. 15. ff. de vulg. & pup. d. L. in testamento. 6. C. de testam. milit. d. L. precibus. 8. C. de impub. & al. substit.*

148. Utrum verò substitutus ex hac militari substitutione bona quæcunq; capere possit? non absq; ratione controversatur inter Dd. Adhibito distinctionis temperamento respondebo: Aut enim filius mortuus est intra annos impuberes, & tunc substitutus omnia omninò bona capiet, non secus, ac ex pupillari substitutione. *d. L. Centurio. 15. ff. de vulg. & pupill. d. L. in testamento. 6. C. de testam. milit. d. L. precibus. 8. ibi. ad r. omnimodò ejus pertineat successio. C. de impub. & al. substit.* Aut filius post pubertatem defunctus est, & tunc ea duntaxat bona substitutus habebit, quæ filius à patre adquisivit: Ratio est, ne videlicet privilegium militibus concessum, in tertij præjudicium vergat, nimirum liberorum, qui hac ratione jure & facultate testandi penitus privarentur. *L. impuberi. 40. ff. de admin. tut. L. ex factis. 23. in pr. ff. de vulg. & pupill. L. cum filius familiars. 28. in fin. ff. de testam. milit.*

149. Est & hoc de effectu militaris substitutionis, quod substitutus ille non per fideicommissum, sed recto jure succedat. *d. L. Centurio. 15. ibi. directò substituit. item ibi. ex privilegio militum ff. de vulg. & pupill. d. L. in testamento, 6. in fin. ibi. licere militibus proprio privilegio?*
C. de

C. de testam. milit. quamvis mater in medio sit, arg. L. ex testamento. 5.
C. 1. 00d.

150. Tandem colophonis loco perelegans illud adijcio,
quod Reges, Principes, Duces, Marchiones, Dynastæ, superio-
rem non recognoscentes, huic privilegio militari, directò sub-
stituendi filijs suis puberibus, etiam post hereditatis additionem
gaudeant: Ratio est, quoniam ejusmodi personæ in terris suis
leges sunt animatæ, omnisq; eorum voluntas pro Lege reputa-
tur. §. sed & quod Principi. 6. Inst. de I. N. G. & L. quod Principi. 1. ff. de constir.
Princip. Atq; hæc de pulcherrimâ & utilissimâ Substitutionum
materiâ, non quidem pro ipsius dignitate, sed pro ingenij mei
tenuitate dicta sufficiant.



COROLLARIUM JURIDICO-POLITICUM.

MElius & jucundius esse assevero, tardè, pedetentim
& quasi per gradus, quàm illicò & subitò ad honores,
Magistratus & Imperia conscendere: Idq; ex Legum præscri-
pto: Modestinus etenim Jureconsultus in L. ut gradatim. 11. in pr. ff.
de muner. & honor. inquit: Ut gradatim honores deferantur, edic. o,
& ut à minoribus ad majores perveniatur, epistola Divi Pij ad
Titianum exprimitur: Et Ulpianus in L. quæ utiliter. 45. in pr. ff. de neg.
gest. ait: quæ utiliter in negocia alicujus erogantur, in quibus est
etiam sumptus honestè ad honores per gradus pertinentes fa-
ctus, actione negociorum gestorum peti possunt. Idq; ab ex-
emplo, tum naturæ, quæ non illicò, sed sensim & gradatim per-
fectum quiddam producere solet, tum aliarum rerum, quæ sum-
mo gradu non perficiuntur, nisi prius in medijs ac inferioribus
exhibitâ fuerint documenta, desumptum esse reor. Quò spectat
sententia & experientia proverbij: quod subitò fit, subitò perit: & in
omnibus rebus repentina festinatio suis non carere periculis
videtur: Nam licet alter ille subitò in clarescendi modus illu-
rior

strior & splendidior sit: hic tamen tardior & obscurior modus
tutior, diuturnior & minoribus cum periculis conjunctus esse
censetur. Quæ res procul dubio Romanos permovit, ut non ni-
si transcendens medijs honoribus, ad supremam Consulatus di-
gnitatem, benè meritis aditum patefacerent. Silentio hîc præ-
tereò exempla Clarissimorum Virorum, Aristidis, Agesilai,
Phocionis & aliorum, qui gradatim per intermedios
honores ad summa fastigia pervenerunt:

*sicut prolixius ex Epitome vitarum Plu-
tarchi apparet.*

*Alme Deus Genitor, Fili, cum Flamine Sancto,
Sit tibi pro meritis gratia summa tuis.*

F I N I S.



Handwritten text at the top edge of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

01 A 6518

ULB Halle 3
 002 937 514



VD 17

Zus. ✓

Handwritten text at the bottom edge of the page, possibly bleed-through from the reverse side.



Handwritten Latin text in a medieval script, likely Gothic or Carolingian minuscule. The text is arranged in approximately 25 lines. A large, decorative initial letter 'B' is visible at the beginning of the lower section of the page. The text appears to be a liturgical or scholarly work, possibly a prayer or a treatise.

Handwritten marginal notes in the left margin, including the word 'Wol' and other illegible characters.

Handwritten marginal notes in the bottom left margin, including the word 'Wol' and other illegible characters.

Handwritten marginal notes in the top right margin, including the word 'Wol' and the number '17'.

Handwritten marginal notes in the middle right margin, including the number '11'.

Handwritten marginal notes in the bottom right margin, including the number '10'.

Large handwritten number '1533' in the right margin, possibly indicating a date or a page count.





XV.
DISSERTATIO INAUGURALIS
De
HEREDVM SVB-
STITVTIO-
NIBVS,

Quam
AUSPICE JEHOVA,
DUCE JUSTITIA,
COMITE VERITATE,

Permissu Magnifici & Amplissimi Collegij Juridici
in Celeberrimâ Lipsiensium Academia

PRO CONSEQUENDA LICEN-
tiâ dignè assumendi Summum Togatæ Militiæ
Cingulum, solenniterq; nanciscendi Doctora-
les in Utroq; Jure Honores, Privi-
legia & Insignia.

Examinandam proponit, & publicæ disquisitioni subijcit

HEINRICVS KRAPPIVS
LIPSIENSIS:

In Auditorio Jureconsultorum:

Die XXVII. Septembris, Hora VII. matutinâ & seqq.

L I P S I Æ,
Excudebat Justus JANSONIUS DANUS.
ANNO M. DC, XXI,